DE EPISCOPATU Constantini Magni,

SEU

De Potestate Magistratuum Reformatorum, circa res Ecclesiasticas

DISSERTATIO

Repetita cum responsione ad Interrogata quædam.

PER

NICOLAUM VEDELIUM
SS. Th. Doct. ac Professorem
in Academiâ Frisiâ.

FRANEKERÆ

Apud Vldericum Balck, Illustr.
Fris. Ord. eorundemque Acad.
Typog. Anno 1642.

IMPERATOR
CONSTANTINUS MAGNUS
apud Eusebium in vita ipsius lib IV.
cap. 24. ait ad Episcopos:

ὑμεῖς μὲν τῶν εἴσω τῆς ἐκκλησίας, ἐγὼ δὲ τῶν ἐκτὸς ὑπὸ θεοῦ καθεσταμένος ἐπίσκοπος ἂν εἴην.

hoc est,

Vos quidem eorum, quæ intra Ecclesiam sunt, ego autem eorum, quæ extra eam sunt, à Deo sum constitutus Episcopus.

Pio & pacis amanti Lectori NICOLAUS VEDELIUS S.

EX non paucorum fratrum aliorumq; virorum gravium & magnorum relatu atque indiciis intellexi; esse quosdam, qui res novas molientur in Ecclesiâ & introducere doctrinam Pontificiam conentur de Potestate Magistratus in rebus Ecclesiasticis. Atque ut eo suo fine potiri queant, adornare eos jam libellum in Hollandiâ brevi committendum prelo; & me hinc inde acerbe tradu-

cere ob doctrinam Ecclesiarum Reformatarum propositam sub initium anni trigesimi octavi in Disputatione impressâ Daventriæ. Quare auctores mihi erant, ut eam Disputationem, quia in nullius ferè manibus erat, publico darem; idq; ob duas causas. Primô enim ex illius lectione multos cognituros, quæ sit doctrina Ecclesiarum Reformatarum de ea materia, adeoq; molimina illa minus successus habitura. Deinde retusum iri eo modo calumnias istorum, utpote quæ solâ Disputationis illius lectione evidentissimè coarguantur.

guantur. Res hæc me non parum suspensum & dubium tenuit. Nam ex una parte quò minus ipsorum consilio locus dandus videretur, invidiæ & malignitatis metus obstabat, quam haud dubiè magis, quàm antehac incursurus essem apud novandi & turbandi cupidos, ideò, quod tàm pulchris & heroicis scilicet ipsorum ausibus impedimento essem. Ex altera parte atrocitas ipsa moliminis me avocabat, quæ alios ad resistendum animare solet. Cogitabam enim, cùm res non solum Religionis, sed etiam

Reipublicæ agatur, Magistratus omnes cordatos, non solum virium, sed etiam animi satis habituros ad jus potestatemque suam etiam me tacente defendendam. Satis quippe eos nosse agi hîc de summa rerum suarum, dum & melior ac nobilior pars potestatis ipsis eripitur, & hac erepta altera pars, quæ circa res civiles occupatur, nequaquam in tuto esse potest. Habet enim, secundùm doctrinam Ecclesiarum Reformatarum omnium, Magistratus sceptrum duos veluti apices, potestatem nimirum Ecclesiasticam externam,

non

non quidvis pro lubitu faciendi, sed secundùm verbũ Dei externè gubernandi Ecclesiam; quam potestatem Constantinus Magnus egregiè expressit distinctam à potestate formali interna & ministeriali Pastorum, dicendo: Vos estis Episcopi intra Ecclesiam, ego Episcopus extra Ecclesiam à Deo constitutus. *Hic unus apex est. Alter est potestas civilis. Ita ut si Magistratui eripiatur potestas Ecclesiastica, non integer amplius Magistratus, sed ex parte tantum sit; quandoquidem ei ademta erit pars una po-*

testatis ipsius & quidem præcipua ac potissima; utpote quæ tantò nobilior est civili, quantò anima corpore, salus & fælicitas æterna prosperitate temporali præstantior est. Et ea parte nobiliore erepta, periclitatur & altera, quemadmodum experientia Papatus docet maximè in Regno florentissimo Angliæ. Cum enim eripi sibi sivissent Reges & Principes potestatem Ecclesiasticam ab Episcopis & Sacerdotibus, illi ulterius progressi sunt, & arripuerunt sibi etiam potestatem temporalem, Regna tributaria sibi fecerunt,

imò

imo etiam Monarchiam temporalem ſupra omnes Reges ac Principes ſibi vindicârunt, & quidem (quod probè notandum) ex eo ipſo fundamento, quod poteſtatem Eccleſiaſticam omnem ad ſe tranſtuliſſent. Vnde inferebant, multò magis temporalem poteſtatem ad ſe pertinere, quemadmodum apud Bellarminum lib. 5. de Pontif. Rom. capp. 5. 6. &c. videre eſt: qui cum ſuis Theologis longè aſtutius Papæ poteſtatem temporalem aſtruit, dum eam ex Spirituali ſeu Eccleſiaſticâ derivat, quàm Canoniſtæ, qui illam di-

rectè juris divini esse contendunt. Unde insignis ille servus Dei Daniel Chamierius lib. 15. de Oecumenico Pontif. c. 1. ait, Pontificem Romanum sibi arrogare potestatem temporalem in statum Politicum, tanquam APPENDICEM potestatis Spiritualis. *Ex quo per se sequitur eos, qui potestatibus supereminentibus eripiunt potestatem circa res Ecclesiasticas, spolium committere gravissimum, rebellionis, adeoque læsæ majestatis sese reos constituere, quemadmodum Theologi Reformati*

multis in ſcriptis hactenus pronunciarunt. Ex tali rebelli doctrina non poſſunt non etiam graviſsimæ ſeditiones, tumultus & bella civilia oriri. Nam quando populorum animis & auribus inſtillatur illa doctrina; improbare diſcunt & taxare actiones ac decreta ſancta Magiſtratuum circa res Eccleſiaſticas, & judicant ea illicita eſſe, adeoque ſe non teneri illis obedire. Vnde præceps ad arma furor errantium populorum ſequitur, cum nihil ſit, quòd æquè populum adverſus Reges & Magiſtratus commoveat, quam ſi in

rebus Ecclesiæ ac Religionis prævaricari videantur. Hinc sanguinis effusiones oriuntur & omnia sursum ac deorsum vertuntur. Hæc igitur cum mecum animo reputarem, existimabam satius fore, ut Reip. proceribus cura omnis isthæc relinqueretur, atque ego tacitum fabulæ spectatorem agerem. Sed ex altera parte movit me Christiana charitas erga eos, quamvis de me pessimé meritos. Cui enim bono, cogitabam, sinere ipsos ruere in justissimam indignationem supereminentium potestatum? cui bono permittere, quantum in te est,

ut

ut Ecclesiam cum Republicâ turbent, atque omnia sursum deorsum vertant? An non præstabit revocare eos maturè à molimine, impedire quominus impingant, adeoque à lapsu gravissimo eos præservare? Id quod melius fieri non poterit, quàm ubi viderint, verâ doctrinâ jam benè imbutos esse animos à cujus cognitione omnibus modis tum per calumnias, tum per alias artes homines prohibere conantur. Accedit quod lege non solùm naturæ, sed etiam verbi divini famam meam honestam non paucis laboribus per

Dei gratiam pro veritate divinâ & ministerio verbi contra adversarios ad extremam invidiam usque susceptis (qua in re nihil mihi, sed omnem laudem Deo adscribo) apud Ecclesias Dei partam asserere teneor. Condescendo igitur in aliorum judicium & sententiam, ac publico do Dissertationẽ hanc de Episcopatu Constantini M. seu doctrinam de Potestate Magistratus in rebus Ecclesiasticis. Quæ quidem doctrina non mea est privata; sed totius Ecclesiæ Reformatæ ad annum saltem usque trigesimum octavum, quo primum

mùm impressa fuit Disputatio illa. Ut adeo nemo doctrinæ illi vel novitatis, vel injuriæ in Episcopos & pastores, vel adulationis erga Reges, Principes, Ordines & quoscunque Magistratus, vel turbarum, vel erroris, vel alterius criminis alicujus dicam scribere possit, nisi ejusdem totam Ecclesiam Reformatam arguere; adeoque se oppido impudentem, turbulentum & malè feriatum hominem re ipsâ ostendere velit. Hoc cùm ita sit, hortor & rogo omnes & singulos Orthodoxos, maximè autem pios servos Dei

Ecclesiarumque ministros, ut hanc modestam & veram doctrinam fidis animis custodiant; & caveant sibi à fermento ac supercilio Pontificio, atque à Novitatibus. Potuissem autem materiam hanc latissimè deducere; sed volui Disputationem illam repetere & quidem sine ulla mutatione, additione, detractione, ne quis calumniari posset me ante hac aliter docuisse & scripsisse, quàm nunc; quamvis si in melius proficere potuissem, nemo nisi perfrictæ frontis homo id mihi objicere posset. Sed firma stat doctrina

ctrina Reform. Ecclesiæ etiam in hac parte, ita ut ea illustrari quidem possit, sed in melius aut verius mutari nequeat. Accedit quòd malui me continere intra angustos istos limites ob duas causas. Primò enim Theologi plurimi eam rem tractarunt abundè, qui argumenta adversæ partis omnia & proposuêre & refutavére: ita ut ego nihil in eam rem contulerim, nisi quòd in certum ordinem & capita perspicuè & distinctè congesserim, quæ ab aliis sparsim dicta sunt. Deinde malim laborare circa alias materias (si quid fortè

forté præcedentibus meis Deus adjicere velit) & speciatim in eruendo ex antiquitate Ecclesiasticâ thesauro prudentiæ veteris Ecclesiæ; quàm circa hanc. Satis enim malitiam seculi, satis malignas illius machinationes atque insultus, ut alia graviora etiam non dicam expertus sum; adeo ut me tantùm non pigeat ordinariis laboribus aliquid adjicere in futurum. Et de hac materia, quandoquidem puto me in ea quoque parte puritati Religionis & paci Ecclesiæ, quorum utrumque meus semper scopus fuit, satis ex officio & conscientia

ſciẽtia feciſſe, cum nemine contẽdere deſidero. Suffecerit mihi, ſi res in meo relinquatur arbitrio, quod huic Diſputationi addidi Reſpon. meam ad interrogata quę ante ãnos fere quatuor non ſolum ad me miſſa fuerunt, ſed etiam hinc inde ſparſa dicuntur; quæ hîc bonâ fide totidem literis & ſyllabis tibi exhibeo, una cum illa reſponſione mea quâ tunc è veſtigio defunctus fui. Ex eâ non pauca circa hanc materiam clariora fient: adeò ut exiſtimem bonis omnibus, pacis, veritatis ac modeſtię amantibus, quantum neceſſe eſt, ſatiſ-

satisfecisse. Si quid tamen dubii supersit alicujus animo, & absit calumniandi studium, ei satisfacere semper paratus ero per Dei gratiam, quandoquidem de doctrinæ hujus veritate firmiter persuasus sum. Quod si autem quis vel ipse, vel (uti Sinoniæ sunt quorundam artes) aliorum operâ, per meum latus doctrinam hanc oppugnare vel suspectam reddere ausus fuerit, adeoque larvam sibi egregiè detractam velit; sciat nihil esse tàm absconditum aut in obscuro factũ quod non sol sit aspecturus cum rubore & confusione eorum, qui malè

malè agunt. Et in eo necessitatis & coactionis casu protestor me non permissurum per Dei gratiam quantum in me erit, ut quis ita licentiosè Ecclesiæ pacem turbare ac veritatem eâ in parte violare ausit. Satis enim experientia Papatus per tot secula nos innumeris & inenarrabilibus modis docuit, quæ mala in Ecclesia & Rep. Euangelicâ exspectanda essent, si contraria & nefaria illa doctrina Pontificia tanquam postliminio reduceretur. Et sint nobis in exemplum atque cautelam ea, quæ nunc in Angliâ & Scotiâ contigerunt

gerunt & quotidie contingunt. Quæ res etiam eos, qui novarum rerum cupidi sunt à pruritu suo revocare debet. Et oro omnes ac singulos, ut considerent, si quæ sit materia Theologica, quæ prudentiam magnam requirat, certè eam in doctrina de Gubernatione Ecclesiæ oppidò necessariam esse. Quem in finem pro mei judicii mediocritate ex doctrina Ecclesiæ has quatuor maximas observandas esse existimo. Primò, *ut prætextu libertatis Ecclesiæ, h. e. ministrorum tuendæ non nimium ipsis, Magistratui autem nimis parum tribuatur:*

vicis-

vicissim ne prætextu potestatis Magistratus asserendæ, huic nimium, ministris autem nimis parum tribuatur. Utriusq; & defectus & excessus character est, si res in Papatum abeat vel Hierarchicum vel Politicum. Hierarchicus Papatus est, quando ministerium in dominium convertitur ἀνυπεύθυνον *& ei non solùm gubernatio interna, ut par est, attribuitur, sed etiam externa, & Magistratus sub ministerium ita deprimitur, ut vel Magistratus potestas circa Ecclesiastica dependere statuatur à ministris, vel id quod Magi-*

stratui

stratui proprium est, iis attribuatur, vel denique id, quod Magistratui pariter & ministris certo respectu competit, in solos ministros conferatur. Politicus Papatus est, quando Magistratui potestas absoluta in rebus Ecclesiasticis defertur, & ei non solùm gubernatio externa, sed & interna adscribitur, ministeriumq; ita sub eum deprimitur, ut vel illud immediatè non à Christo, sed à Magistratu fluere statuatur, sive quoad substantiam ab eo dependere: vel ut Magistratui tribuantur actiones, quæ propriæ

sunt

ſunt miniſterii, vel ut, quod Magiſtratui & miniſtris ſuo modo ac diverſo reſpectu commune eſt, ſoli Magiſtratui aſcribatur. Hoc unum eſt. Secundò *obſervandum in Gubernatione Eccleſiæ eſſe quædam divini juris, & in verbo Dei determinata; alia autem in verbo Dei non contineri, ſed indifferentia eſſe, adeoque in libertate Eccleſiæ cujus nutricius eſt Magiſtratus, & juris humani poſitivi eſſe. Illa ſunt* ἀκίνητα *ſeu immutabilia; ac à nullo hominum variari poſſunt. Hæc autem* κινητὰ *ſunt ſeu mutabilia;*

ſed quę non niſi bono ordine, hoc eſt, conſenſu atque auctoritate Eccleſiæ & Ma iſtratus Orthodoxi mutari poſſunt. Illa ubivis locorum & quicunque ſit ſtatus Reip. in qua Eccleſia eſt, obtinere debent; hæc pro locorum, Rerump. & ingeniorum quoque indole diverſa ſunt. Neque enim ſimpliciter verum eſt, quod Pontificii volunt, regimen Eccleſiaſticum regimini Politico attemperandum eſſe. Nam id de iis, quæ ἀκίνητα ſunt in gubernatione Eccleſiæ, falſiſſimum eſt. Quâ de re breviter, ſed nervoſè diſſerit egregius

gius quisquis ille est (nam nomen illius nobis temporum iniquitas invidet) & eruditissimus scriptor, qui Historiam motuum regni Scotiæ hoc ipso anno nobis dedit p. 245. Tertiò *observandum, in statu perturbato Ecclesiæ, & quando Magistratus supremus officium non facere vult, Ecclesiam aut saniorem illius partem in extremo periculo religionis constitutam, plus potestatis conjunctâ cum proceribus opera exercere posse, quàm ordinariè: similiter & Magistratum de procerum & sanioris partis Ecclesiæ consilio plus*

potestatis, quàm ordinariè, adhibere posse, ubi Ecclesia officium facere, aut rectè facere non vult. Et hoc velut fundamento nititur Reformatio Religionis ejusq; conservatio suscepta ac continuata invitis multis, qui supremas partes tàm in Ecclesiâ Christianâ quam in Republica obtinebant, aut etiamnum obtinent. Quartò *denique si aut ministri aut Magistratus abutantur potestate sua, notandum; cavendum tunc esse, ne ideò abrogetur ipsis potestas, quam secundùm verbum Dei habent, aut disputetur contra*

eam

e im: sed indicandi sunt abusus, & contra eos agendū & ostendendum ex verbo Dei, quare iis acquiescere nefas sit, & ad verum usum omnia sunt revocanda. Nec enim abusus potestatis ipsam potestatem seu auctoritatem tollit. Egregiè insignis ille & per controversias, quas contra Pontificios edidit optimè de Ecclesia meritus Theologus Daniel Chamierus de hac re disserit lib. 14. de Pontif. Oecum. cap 11. postquam enim respondisset ad exceptionem Bellarmini, dicentis Abiatharem Sacerdotem à Salomone depositum

tanquam à propheta non tanquam à rege, & stoliditatem istius effugii ostendisset: respondet ad aliud ipsius κρηςφύγετον *dicentis Imperatores Christianos, qui Pontifices Romanos Episcopatu suo privarunt, de facto id, non de jure, præstitisse; & abusos eos sua potestate fuisse. Ait igitur solidissimus ille Theologus:* Itaque nihil est novi cùm dicuntur Liberius, Silverius, Johannes injustè pulsi. Nam quis nescit Imperatores sæpè abuti auctoritate? Nemo sanus neget injustè etiam Athanasium

ſium factum exulem à Conſtantino primum; deinde à Conſtantio: alios etiam Epiſcopos Catholicos cùm ab hoc, tum ab aliis: ſed non ſequitur, ex eo, quod quis injuſtè facit, propterea non habere auctoritatem faciendi: hoc enim ſequitur duntaxat, àbuti eum ſuâ auctoritate. *Et mox:* Solent autem in facto variæ eſſe ipſarum actionum circumſtantiæ, aliâs bonæ, aliâs malę, ſed eas circumſtantias non decet attendi. Ejecit, ut dixi,

Constantinus Arium, Eusebium, Theognin, hæreticos: ejecit & Athanasium. Confer: utrinque ejiciendi autoritatem potestatemq; eandem invenias; & tamen justè illi, hic contra ejectus est. Quî fit? Non sanè quia in Athanasio deficeret potestas; quæ in reliquis sufficiebat: sed quia cum æquè Athanasii judex esset Imperator ac reliquorum, tamen Athanasii nullum crimen erat; & erat magnum aliorum. Sic de his respondeo: malè ejectos

Libe

Liberium, Silverium, Johannem; ſed malè; quia cauſa in his nulla erat exilii; non quia in Imperatoribus nulla eſſet auctoritas. *Ita Chamierus. Hæ ſunt quatuor maximæ, ad quas, qui non attendit, facilè omnia ſurſum deorſum vertet, Eccleſiam & Remp. turbabit, Religionem deſtruet, cædibus & ſanguine, quantum in ſe eſt, omnia replebit: qui autem eas obſervabit, prudenter aget magno cum bono Eccleſiæ & Reip. Poſſent autem eæ maximæ latiſſime deduci: ſed ad hypotheſin deſcendere*

id verò justi voluminis & magni est. Qua in re optandum est, non ut Theologi orthodoxi infestis scriptis inter se concurrant, se convitiis, & calumniis invicem petant; insidias alii aliis struant; scripta, dicta, facta, sententias, consilia affingant innocenti, quæ ei nunquam vel per febrim aut somnium in mentem venerunt; & dira quævis per inauditam malitiam contra eum moliantur: sed ut conjunctis operis & animis inter se conveniant; & omnia, quæ ad hanc rem faciunt in unum aliquod corpus re tota benè expensa

pensa

pensa, & probè distinctis iis, quæ ἀκίνητα, quæ κινητὰ in hac materia sunt, congerant. O quantum hoc operæ precium foret! O quantum suspicionum evelleretur, per quas sæpè Magistratus & ministerium maximo cum malo Ecclesiæ & impedimento cursus regni Christi divelluntur! O quanta spei ansa præscinderetur hostibus veritatis, qui sperant fore ut aliqui ex nobis ipsis exsurgant, qui pontificiam doctrinam illam (quâ stante tota periclitatur Religio, ut experientia Papatus ostendit) in Ecclesias nostras omnibus modis reducturi

sint, & eâ ratione Magistratuum animos exacerbaturi & ab Ecclesiæ cum præsentissimo illius malo abalienaturi. Hoc consilium meum, ut piis placeat & pacis studiosis pectoribus opto; non quòd doctrina quam propono, in ambiguo posita sit, & nondum decisa (contrarium enim patet ex hac Disputatione in quâ ut dixi non meam privatam, sed totius Ecclesiæ Reformatæ doctrinam propono) verũ ut omnia ordine perfecto digerãtur; si qui in hac materia non adeo versati sunt, plenè instruãtur, si quæ durius aut generalius vel

ab his vel ab illis scripta sint, mitigentur, difficultates & dubia omnia tollantur, & sic ansa de hac re unquam litigandi etiam in omnem posteritatem tollatur: quò ita & pax & religio in perpetuum floreat, quæ votorum meorum summa est. Hoc meum ex pacis studio consilium est: Sed ut illud & cordatis & prudentibus & modestis viris non displicebit: ita jam prævideo temerariis & superbis ingeniis nihil magis in votis fore, quàm ut spretis salutaribus pacis & concordiæ consiliis ac monitis in me involent, & virus

suum contra me evomant. Ipsi viderint, & norint Deum resistere superbis, humilibus autem gratiam dare. Cæterum præfixi de hac dissertatione judicium maximi & sincerissimi Theologi D. Andreæ Riveti, cujus candidum, sanum, defœcatumque animum, incorruptum judicium, summam doctrinam, prudentiam, & merita tota Ecclesia novit & ipsi adversarii suspiciunt; cujus etiam vestigia, ut & D. Walæi, p. m. accuratè expressi in hac materia, prout unicuivis legenti patebit. Addidi & Epistolium Clarissimi

ſimi Viri D. Joh. Macco-vii, *Collegæ mei, Theologi celeberrimi; ut unicuique conſenſus noſter palam fieret. Ego igitur, ut cum totâ Eccleſiâ Reformata, nec Magiſtratibus, nec Epiſcopis & Paſtoribus quicquam detraho, quod eis ſecundùm verbum Dei competit, aut attribuo, quod non competit, ſed Cæſari do, quæ ſunt Cæſaris, & Deo, quæ Dei ſunt; ita Deus ſapientiæ, prudentiæ, pacis, concordiæ, manſuetudinis nobiſcum omnibus ſit. Franecqueræ. Nonis Novembr. 1641.*

LEgi & expendi Disputationem Theologicam' de Magistratu, adversus Bellarmini librum de Laicis, quam hoc anno edidit Daventriæ Clariss. & Doctiss. Vir. D. Nicolaus Vedelius, S. Th. Doct. & Professor, eamq; in tredecim quæstiones, ordinis & perspicuitatis gratiâ, distribuit. Testor autem nihil à me animadversum esse in ejus responsionibus & solutionibus, quod non judicem conuenire cum o-

nium

mnium Ecclesiarum Reformatarum, de eodem articulo, doctrinâ, juxta verbum Dei. Specialiter autem, in iis, quę ex meis in Decalogum commentariis citavit, nihil illum mihi affinxisse, sed mentem meam expressisse, & sententiam, quam veram judico. Cum tamen mihi scrupulus quidam injectus fuisset ex eo, quod quæst. 3. ubi agitur de depositione Ministrorum, non *objectivam* solum, sed etiam *formalem* potestatem Magistratui

ſtratui tribueret, quum verba ex me citata quæſt. 6. negarent eam Magiſtratui in eo convenire: eum planè mihi ſatisfeciſſe, cum id ita interpretatus eſt, ut ſpectaret tantum depoſitionem, quę exercitium prohibet Miniſterii in diſtrictu Magiſtratus illius, & coercitionem externam: non autem poteſtatem, quia ordinatio miniſtri, quæ fit à ſolis paſtoribus, redderetur irrita, & paſtor exautoratus fieret inhabilis ad prędicationem verbi & ſacramen-

cramen-

cramentorum administra-
tionem, quam *formaliter* so-
lis Pastoribus assero, qui-
bus competit ordinatio;
quemadmodū etiam ipse
quæst. 6. rem ex meis ver-
bis interpretatur, & in iis
acquiescit. In eo etiam
quod quęst. 13. ex me citat,
circa eminentiam & præ-
cellentiam potestatis poli-
ticæ & Ministerii Ecclesia-
stici, quod dixi, veterum
nonnullos & præcipuè
Chrysostomum extollen-
tes dignitatem Ecclesiastici
muneris supra Politica,
non

non ſpectaſſe honorem, prçcellentiam, & dignitatem civilem, ſed tantum objectum & finem, ab una parte ſpiritualem, & vitam æternam ſpectantem, ab altera Rerumpub. & politię temporalis conſervationem, nihilque hoc præjudicare dignitati Magiſtratuum, quandoquidem illa eſt ἀυτοκρατορικὴ, cum alia ſit tantum Miniſterialis, quod pluribus exemplis illuſtravi, idem paucis, ſed verè expreſſum fuiſſe à D. Vedelio, per diſtinctionem

eorum

eorum, quę miniſtris competunt *per ſe*, vel *per accidens*. Proinde, hac mea Syngrapha, omnibus teſtatum volo, virum illum, de Eccleſia benè meritũ, & qui doctiſſimis lucubrationibus ſatis probavit, quàm alienus eſſet ab omnium novatorum molitionibus, in hoc etiam, *de Magiſtratu*, articuló ita ſe geſsiſſe, ut adverſus Pontificios & alios ſupereminentium poteſtatum adverſarios, veritatem aſſeruerit, ſine prę̨judicio eorum, quę verbi divini Mini-

Miniſtris & Eccleſiarum rectoribus, juxta Canonem ſcripturę, & Eccleſiaſticos ex eo deductos canones competunt: nullamq; me videre rationem, cur Orthodoxus quiſquam ei, circa hoc negotium litem ullam intendat. Scripſi Hagæ Comitis, ultimo Februarii ſtylo novo, anno 1638.

ANDREAS RIVETVS.

* *
*

S.

VIr Clariss. Disputationem tuam de Magistratu Politico adversus Bell. eò diligentius legi, quò videre potui, eam accuratius esse conscriptam, & deprehendi non tantum argumentorum gravissimorum veritate, sed & Clariss. Theologorum autoritate undecumque suffultam ac munitam. Non dubito, quin rem gratiss. feceris iis, qui materiam hanc accuratius pernoscere cupiunt. Me certè tibi devinctum hoc nomine habes, & quia nos pudere non debet profiteri, per quem profecerimus, fateor me tractatu hoc tuo doctiss. in iis, in quibus fluctuabam ante, expeditum & quæ nesciebam, edoctum. Deus tibi sufficiat porrò vires ad benè merendum de Ecclesia Dei.

Cl. T.

devinctiss.

J. MACCOVIUS.

DE EPISCOPATU Constantini Magni, SEU *De Potestate Magistratus in rebus Ecclesiasticis,* DISPUTATIO.

EGimus Disputatione præcedente de Naturâ Ecclesiæ & Conciliis, & anatomen proposuimus librorũ quatuor *Bellarmini.* Sequitur ut agamus de membris Ecclesiæ militantis, inter quæ præcipuum membrum est Magistratus, quamvis eum Bellarminus adeò deprimat, ut in Ecclesiâ infimum locum ei post quosvis Clericos adscribat contra verbum Dei, cujus nos ordinem sequemur, ut etiam quæstione præcedente à nobis factum est.

De Magistratu autem agit libro toto de *Laicis:* hoc enim nomine contumeliosè & contra usum Scripturæ Sacræ (quæ expressè Magistratum à Laicis distinguit, qui בני העם 2. Chron. 35. 5. 7. vocantur) unctos Domini designat. Ita autem agit contra nos (nam quæ adversum *Anabaptistas* aut alios disputat, nos non tangunt) de *Magistratu*, ut non tractet aliâ de re, quàm *de potestate seu jure & officio ejus in rebus Ecclesiasticis;* quemadmodum etiam in aliis libris quibusdam eam materiam inspergit. Nos inpræsentiarum sequuti filum & ordinem instituti nostri contra eum agemus, ita ut, quandoquidem hæc materia vulgò minus nota est, distinctè proponamus & ipsius doctrinam, & doctrinam Ecclesiarum Reformatarum, hancque quantum postulat necessitas & chartæ hujus angustia patitur, probemus ex verbo Dei, & contrariam doctrinam refutemus, aut indicemus, apud quos auctores pro-

probationes & objectionum solutiones sint quęrendæ. Est autem controversia illa non nova, sed in vetere etiam Ecclesia mota fuit. Temporibus enim *S. Augustini* Donatistæ contendebant, ad Magistratum non pertinere cognitionem causarum Ecclesiasticarum: *Quid est Imperatori cum Ecclesiâ?* dicebat Donatus apud *Optatum Milevitanum* lib. 3. cont. Parmen. Horum furori se opposuerunt *Augustinus* & *Optatus*. Anabaptistę & Sociniani *Donati* vestigia sequuntur hodie, & sic in defectu gravissimè peccant. Arminiani è contrario in excessu peccant. Etenim ante Synodum *Dordracenam* contendebant, sub Magistratu orthodoxo Ecclesiam per se nullam habere potestatem spiritualem: ministros Ecclesiæ officio suo defungi nomine Magistratus, ita ut Magistratus, quia ipse per alia negocia concionari &c. non possit, per ministros doceat, qui vices ipsius gerant in docendo &c.

quemadmodum vicarius *Trajani* Imperatoris vices gerebat sui Imperatoris. Et sic ministros non habere suam potestatem à Christo, sed à Magistratu, qui & quidem solus eam potestatem immediatè à Christo acceperit. Adeoque Magistratum in locum Papę constituebant, imò plus ei tribuebant, quam *Romanenses* Pontifici. Gubernationem etiam Ecclesiæ assignabant soli Magistratui; ab eâ excludentes Ministros, nisi in quantum essent vicarii & instrumenta seu servi Magistratus. Speciatim electionem ministrorum seu vocationem, item depositionem tribuebant soli Magistratui, & quidem non solùm summo, sed etiam subalternis Magistratibus, qui oppidatim vices gerunt summi Magistratus; statuebantque penes eos esse distribuere officia Ecclesiastica, non secus atq; in ipsorum potestate est distribuere officia Politica. Contendebant etiã ad solum Magistratum immediatè sub

Chri-

Christo pertinere judicium, quando cõtroversię fidei ortę sunt in Ecclesiâ. Quæ doctrina à diversis Theologis tunc fuit refutata, speciatim à *Cl. Walæo* tract. *de off. ministror. & auctoritate atq; inspectione quã magistratus super ministros habere debet*: contra *Joh. Vtenbogard*. Post Synodum in Confess. sua & Apol. c. 25. §. 4. tribuunt quidẽ etiam Magistratui potestatem architectonicam in Ecclesiâ immediatè sub Christo; sed negãt ejus jus aut officiũ esse, ad decreta Synodica, ut ut verbo Dei conformia sint, observanda obligare homines suâ auctoritate, & potestate ullâ coactivâ uti in eâ parte. Negant etiam Magistratum jus habere in privatos cõventus, sed tantùm in exercitia quæ in Tẽplis seu locis publicis ad Magistratum pertinentibus instituuntur, ibid. Apol. fol. 297. &c. Quibus duabus posterioribus negationibus reverâ tantum detrahunt Magistratus potestati, quantum ei in cæteris volunt videri tribuere; ut jam

non dicam eos sibi non constare, quantum ad hæc duo attinet. Nam cùm rebus suis ita consultum putarent, aliter statuebant & contrarium, quemadmodum alibi à nobis est ostensum. Pontificii, speciatim Bellarminus, volunt videri plus tribuere Magistratui, quàm Anabaptistæ circa res Ecclesiasticas, sed reverâ etiam in defectu peccant, & in substantiâ conveniunt cum eis, nisi quod ex Magistratu lictores & mancipia, imô carnifices Ecclesiasticorum faciunt, prout ex sequentibus quæstionibus palam fiet. Observetur autem in antecessum, quæcumque à nobis & aliis Theologis Reformatis hîc dicuntur, accipienda esse de Magistratu summo & Orthodoxo, qui adeoq; ipse membrum Ecclesiæ sit; quo deficiente Ecclesia sola sub Christo secundum verbum ejus prospicere debet conservationi veræ religionis & ordinis exterioris à Christo instituti.

QUÆST.

QUÆST. PRIMA.

An Magistratus nullam potestatem habeat in rebus Ecclesiasticis, quam ut sit defensor Ecclesiæ & executor sententiæ illius?

ITa *Bellarm.* cum cæteris Pontificiis maximè Iesuitis sentit lib. de *Laicis* capp. 17. 18. & aliis in libris, prout etiam distinctius ex omnibus locis, quę allegabimus, patebit. Contra istam opinionem nos hanc propositionem formamus: *Quemadmodum certissimum est & extra omnem controversiam positum, Magistratum esse defensorem Ecclesiæ, & propugnatorem ordinis divinitus instituti, adeoq́ potestatis quam Deus dedit Ecclesiæ suæ; ita falsissimum est eum tantùm defensorem esse Ecclesiæ & exequutorem sententiæ illius.* Hæc propositio est doctrina totius Ecclesiæ Reformatæ, adeò ut *Zanchius* in Locis Communibus cap 26. §. 9. haud obscurè eos illudere Ma-

gistratui indicet, qui secus statuunt: *Improbamus*, inquit, *& illos qui aucto-ritatem in Religione* DICIS TANTUM CAUSSA *attrbuunt Magistratibus* &c. *dum illos aliud esse nolunt, quàm eorum, quæ ab Episcopis definiuntur exequutores*. Vide de hac propositione Confessionem *Ecclesiarum Gallicarum* art. 39. 40. *Anglicam* art. 37. *Belgicam* art. 36. *Bohemicam* art. 16. *Calvinum* Instit. lib. IV. cap. 11. §. 16. *Bullingerum* de Episcoporum institutione & functione cap. 1. *Petrum Martyrem* in 1. Sam. cap. 8. de quo commentario *Iosias Simlerus* Theologus Tigurinus in præfatione ait: *nihil eum continere quod non Orthodoxum sit*. Eundem in locis communibus lib. 4. c. 13. & in Appendice locorum communium Quæstione, *Regi, Principi, Magistratui, liceatne de Religione statuere? Bucerum* lib. 1. de Regno Christi. *Ivellum* Episcopum Sarisburiensem in Apolog. Ecclesię Anglicanæ capp. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

15. Item ejusdem Antapologiam contra *Hardingum* capp. 9. 10. &c. *Zanchium* in locis communibus tit. de Magistratu. *Ursinum* in catech. ad præceptum quintum. *Wittakerum* lib. de Conciliis & Ecclesiâ. *Franciscum Junium* libris iisdem. *Polanum* Syntag. lib. 1. c. 45. & lib. 7. c. 19. *Chamierum* de Oecumenico Pontifice hinc inde. *Pareum* Comment. in epist. ad Romanos cap. 13. Item in Aphorismis doctrinæ Ecclesiarum Reformatarum art. 11. §. 17. 18. *Bucanum* loco de Magistratu. *Piscatorem* in Aphorismis & earum Explicatione de Magistratu. *Sibbrandum Lubbertum* contra *Grotii* pietatem Ordinum Hollandiæ hinc inde. *Bogermannum* contra eundem *Grotium* in Appendice ex Junio. *Cl. Molinæum* de novitate Papismi libris 4. 5. 6. *Jacobi Capelli* Historiam sedis Romanæ contra *Ferrerium* speciatim. Synopsin purioris Theologiæ *Cll. Professorum Leydensium* loco de Magi-

S.

VIr Clariss. Disputationem tuam de Magistratu Politico adversus Bell. eò diligentius legi, quò videre potui, eam accuratius esse conscriptam, & deprehendi non tantum argumentorum gravissimorum veritate, sed & Clariss. Theologorum autoritate undecumque suffultam ac munitam. Non dubito, quin rem gratiss. feceris iis, qui materiam hanc accuratius pernoscere cupiunt. Me certè tibi devinctum hoc nomine habes, & quia nos pudere non debet profiteri, per quem profecerimus, fateor me tractatu hoc tuo doctiss. in iis, in quibus fluctuabam ante, expeditum & quæ nesciebam, edoctum. Deus tibi sufficiat porrò vires ad bene merendum de Ecclesia Dei.

Cl.T.

devinctiss.

J. MACCOVIUS.

DE EPISCOPATU Constantini Magni, SEU *De Potestate Magistratus in rebus Ecclesiasticis,* DISPUTATIO.

EGimus Disputatione præcedente de Naturâ Ecclesiæ & Conciliis, & anatomen proposuimus librorũ quatuor *Bellarmini.* Sequitur ut agamus de membris Ecclesiæ militantis, inter quæ præcipuum membrum est Magistratus, quamvis eum Bellarminus adeò deprimat, ut in Ecclesiâ infimum locum ei post quosvis Clericos adscribat contra verbum Dei, cujus nos ordinem sequemur, ut etiam quæstione præcedente à nobis factum est.

De Magistratu autem agit libro toto de *Laicis*: hoc enim nomine contumeliosè & contra usum Scripturæ Sacræ (quæ expressè Magistratum à Laicis distinguit, qui בני העם 2. Chron. 35. 5. 7. vocantur) unctos Domini designat. Ita autem agit contra nos (nam quæ adversum *Anabaptistas* aut alios disputat, nos non tangunt) de *Magistratu*, ut non tractet aliâ de re, quàm *de potestate seu jure & officio ejus in rebus Ecclesiasticis*; quemadmodum etiam in aliis libris quibusdam eam materiam inspergit. Nos inpræsentiarum sequuti filum & ordinem instituti nostri contra eum agemus, ita ut, quandoquidem hæc materia vulgò minus nota est, distinctè proponamus & ipsius doctrinam, & doctrinam Ecclesiarum Reformatarum, hancque quantum postulat necessitas & chartæ hujus angustia patitur, probemus ex verbo Dei, & contrariam doctrinam refutemus, aut indicemus, apud quos auctores

pro-

probationes & objectionum solutiones sint quęrendæ. Est autem controversia illa non nova, sed in vetere etiam Ecclesia mota fuit. Temporibus enim *S. Augustini* Donatistæ contendebant, ad Magistratum non pertinere cognitionem causarum Ecclesiasticarum: *Quid est Imperatori cum Ecclesiâ?* dicebat Donatus apud *Optatum Milevitanum* lib. 3. cont. Parmen. Horum furori se opposuerunt *Augustinus* & *Optatus*. Anabaptistę & Sociniani *Donati* vestigia sequuntur hodie, & sic in defectu gravissimè peccant. Arminiani è contrario in excessu peccant. Etenim ante Synodum *Dordracenam* contendebant, sub Magistratu orthodoxo Ecclesiam per se nullam habere potestatem spiritualem: ministros Ecclesiæ officio suo defungi nomine Magistratus, ita ut Magistratus, quia ipse per alia negocia concionari &c. non possit, per ministros doceat, qui vices ipsius gerant in docendo &c.

quemadmodum vicarius *Trajani* Imperatoris vices gerebat sui Imperatoris. Et sic ministros non habere suam potestatem à Christo, sed à Magistratu, qui & quidem solus eam potestatem immediatè à Christo acceperit. Adeoque Magistratum in locum Papę constituebant, imò plus ei tribuebant, quam *Romanenses* Pontifici. Gubernationem etiam Ecclesiæ assignabant sôli Magistratui; ab eâ excludentes Ministros, nisi in quantum essent vicarii & instrumenta seu servi Magistratus. Speciatim electionem ministrorum seu vocationem, item depositionem tribuebant soli Magistratui, & quidem non solùm summo, sed etiam subalternis Magistratibus, qui oppidatim vices gerunt summi Magistratus; statuebantque penes eos esse distribuere officia Ecclesiastica, non secus atq; in ipsorum potestate est distribuere officia Politica. Contendebant etiã ad solum Magistratum immediatè sub

Chri-

Christo pertinere judicium, quando cõtroversię fidei ortę sunt in Ecclesiâ. Quæ doctrina à diversis Theologis tunc fuit refutata, speciatim à *Cl. Walæo* tract. *de off. ministror. & auctoritate atq; inspectione quã magistratus super ministros habere debet*: contra *Joh. Vtenbogard*. Post Synodum in Confess. sua & Apol. c. 25. §. 4. tribuunt quidẽ etiam Magistratui potestatem architectonicam in Ecclesiâ immediatè sub Christo; sed negãt ejus jus aut officiũ esse, ad decreta Synodica, ut ut verbo Dei conformia sint, observanda obligare homines suâ auctoritate, & potestate ullâ coactivâ uti in eâ parte. Negant etiam Magistratum jus habere in privatos cõventus, sed tantùm in exercitia quæ in Tẽplis seu locis publicis ad Magistratum pertinentibus instituuntur, ibid. Apol. fol. 297. &c. Quibus duabus posterioribus negationibus reverâ tantum detrahunt Magistratus potestati, quantum ei in cæteteris volunt videri tribuere; ut jam

non dicam eos sibi non constare, quantum ad hæc duo attinet. Nam cùm rebus suis ita consultum putarent, aliter statuebant & contrarium, quemadmodum alibi à nobis est ostensum. Pontificii, speciatim Bellarminus, volunt videri plus tribuere Magistratui, quàm Anabaptistæ circa res Ecclesiasticas, sed reverâ etiam in defectu peccant, & in substantiâ conveniunt cum eis, nisi quod ex Magistratu lictores & mancipia, imô carnifices Ecclesiasticorum faciunt, prout ex sequentibus quæstionibus palam fiet. Observetur autem in antecessum, quæcumque à nobis & aliis Theologis Reformatis hîc dicuntur, accipienda esse de Magistratu summo & Orthodoxo, qui adeoq; ipse membrum Ecclesiæ sit; quo deficiente Ecclesia sola sub Christo secundum verbum ejus prospicere debet conservationi veræ religionis & ordinis exterioris à Christo instituti.

QUÆST. PRIMA.

An Magistratus nullam potestatem habeat in rebus Ecclesiasticis, quam ut sit defensor Ecclesiæ & executor sententiæ illius?

ITa *Bellarm.* cum cæteris Pontificiis maximè Iesuitis sentit lib. de *Laicis* capp. 17. 18. & aliis in libris, prout etiam distinctius ex omnibus locis, quę allegabimus, patebit. Contra istam opinionem nos hanc propositionem formamus: *Quemadmodum certissimum est & extra omnem controversiam positum, Magistratum esse defensorem Ecclesiæ, & propugnatorem ordinis divinitus instituti, adeoq́ potestatis quam Deus dedit Ecclesiæ suæ; ita falsissimum est eum tantùm defensorem esse Ecclesiæ & exequutorem sententiæ illius.* Hæc propositio est doctrina totius Ecclesiæ Reformatæ, adeò ut *Zanchius* in Locis Communibus cap 26. §. 9. haud obscurè eos illudere Ma-

gistratui indicet, qui secus statuunt: *Improbamus*, inquit, *& illos qui auctoritatem in Religione* DICIS TANTUM CAUSSA *attrbuunt Magistratibus* &c. *dum illos aliud esse nolunt, quàm eorum, quæ ab Episcopis definiuntur exequutores*. Vide de hac propositione Confessionem *Ecclesiarum Gallicarum* art. 39. 40. *Anglicam* art. 37. *Belgicam* art. 36. *Bohemicam* art. 16. *Calvinum* Instit. lib. IV. cap. 11. §. 16. *Bullingerum* de Episcoporum institutione & functione cap. 1. *Petrum Martyrem* in 1. Sam. cap. 8. de quo commentario *Iosias Simlerus* Theologus Tigurinus in præfatione ait: *nihil eum continere quod non Orthodoxum sit*. Eundem in locis communibus lib. 4. c. 13. & in Appendice locorum communium Quæstione, *Regi, Principi, Magistratui, liceatne de Religione statuere? Bucerum* lib. 1. de Regno Christi. *Ivellum* Episcopum Sarisburiensem in Apolog. Ecclesię Anglicanæ capp. 9. 10. 11. 12. 13. 14. 15.

15. Item ejusdem Antapologiam contra *Hardingum* capp. 9. 10. &c. *Zanchium* in locis communibus tit. de Magistratu. *Vrsinum* in catech. ad præceptum quintum. *Wittakerum* lib. de Conciliis & Ecclesiâ. *Franciscum Junium* libris iisdem. *Polanum* Syntag. lib. 1. c. 45. & lib. 7. c. 19. *Chamierum* de Oecumenico Pontifice hinc inde. *Pareum* Comment. in epist. ad Romanos cap. 13. Item in Aphorismis doctrinæ Ecclesiarum Reformatarum art. 11. §. 17. 18. *Bucanum* loco de Magistratu. *Piscatorem* in Aphorismis & earum Explicatione de Magistratu. *Sibbrandum Lubbertum* contra *Grotii* pietatem Ordinum Hollandiæ hinc inde. *Bogermannum* contra eundem *Grotium* in Appendice ex Junio. *Cl. Molinæum* de novitate Papismi libris 4. 5. 6. *Jacobi Capelli* Historiam sedis Romanæ contra *Ferrerium* speciatim. Synopsin purioris Theologiæ *Cll. Professorum Leydensium* loco de Magi-

ſtratu, item loco de Diſciplinâ Eccleſiaſticâ, item de Vocatione Paſtorum, item de conciliis. Eorundem Cenſuram Confeſſionis Remonſtrantium cap. 25. *Cl. Rivetum* in Commentario in Decalogum ad prçceptum quintum. *Cl. Walæum* de Officio miniſtrorum &c. per totum. *Ameſii Medullam* Theologicam loco de Magiſtratu. *Altſtedii* Supplementum in Panſtrat. *Chamierii* lib. de jurisdict. Eccleſię Milit. capp. 3. 4. &c. item alios recentiores Anglos Theologos, ut *L. Ciceſtrenſis* torturam Torti. *Bilſonium* de perpetuâ gubernatione Eccleſiæ, & alios. Ut jam *Muſculum* non allegem, qui in hac materiâ circa quędam recedere à communi conſenſu Doctorum Reformatorum odio diſciplinæ Anabaptiſticę videtur, & paſtoribus minus tribuere nonnullibi quàm par eſt; Theologus alioquin inſignis & de Eccleſia bene meritus. In ſumma hæc eſt doctrina omnium Theologorum

gorum Reformatorum, qui ante & post Synodum Dordracenam de hac materia scripserunt.

Probatur autem hęc propositio. 1. Quia qui Magistratibus aliud non tribuunt, quàm ut sine ullâ potestate aliâ in rebus Ecclesiasticis tantùm sint defensores & exequutores Ecclesię; faciunt ex iis mancipia imò lictores & carnifices Episcoporum seu ministrorum Ecclesię Hoc argumentum est *Parei* Comm. Rom. 13. p. 1084. *Cl. Riveti* comment. in Decal. p. 264. a. & aliorum. 2. Probatur ex eo, quia Magistratus officium extendit se pręter defensionem Religionis & Ecclesiæ etiam ad alia, ut ex sequentibus omnibus patebit. Quæ *Bellarminus* pro suâ sententiâ affert, refutata sunt à multis ex modo laudatis Theologis.

Annotationes seu Interrogata
Ad Quęst. Primam.

Cum negatur Magistratum tantùm esse defensorem Ecclesiæ & executorem sententiæ il-

lius: An non indicandum erat quid ergo sit Magistratus respectu Ecclesiæ? Negativa enim ejusmodi propositio nimium est generalis, cùm negatâ unâ specie, aliæ plures restent, vel affirmandæ, vel negandæ. Estne ergo Magistratus Dominus aut caput Ecclesiæ: an vero habet munus aliquod in Ecclesiâ? Certè Magistratus non est quidem stupidus aut cæcus Ecclesiæ defensor, aut debet sententiam Ecclesiæ defendere, quæcunque demum illa sit: attamen si Magistratus aliud quid est, præterquam Ecclesiæ defensor, quæso quid demum est? Quamvis ii, qui volunt, ut Magistratus stupidè & cæcè Ecclesiam tueantur, ejusque exequantur sententiam (quod volunt Papæ Romani sectatores) illos faciunt Mancipia Episcoporum, id tamen tribuendum non est illis, qui volunt veram religionem veramque Ecclesiam à Magistratu è verbo Dei cognosci, & cognitam defendi, eoque sensu Magistratum Ecclesiæ defensorem faciunt. Dices: Ergo Magistratus judicat de Ecclesiâ & de rebus Ecclesiasticis. Certè (inquam) judicat etiam de religione. Sed & Pastor judicat, & fidelis quilibet. Pastor, ut veram religionem doceat, & res Ecclesiasticas ritè administret: fidelis quilibet, ut Deum rectè colat: Magistratus, ut veram religionem & Ecclesiam tueatur atque defendat, non falsam.

Resp.

Resp. Generalis ad Annotationes seu Interrogata.

Proponuntur in Annotationibus multæ Quæstiones solvendæ. Sed impossibile, fuit illa quæ in iis continentur, in exercitio merè Scholastico tractare: Certè id justi voluminis est, & quod in usum publicum totius Ecclesiæ quis edere vellet, non autem disputationis Scholasticæ. Profectò Cll. DD. Proff. Leydd. etiam tractârunt hanc materiam, & quidem non in unâ, sed in variis disputationibus, quas in publicum totius Ecclesiæ usum tanquam Synopsin purioris doctrinæ ediderunt, eandemque doctrinam tradunt quam ego, & tamen illas quæstiones non attingunt. Nulla etiam est ex illis Confessionibus fidei, nullus ex auctoribus, quos ego allegavi, qui ad ista quæsita omnia aut majore ex parte respondeat vel explicationes contineat, quæ in eo privato exercitio Scholastico postulantur; quamvis ex professo & justis voluminibus quidam eam materiam tractârint, inter quos facile primas fert Cl. VValæus in tractatu suo insigni. An ideò Ecclesiis, quarum illæ Confessiones sunt & Theologis illis omnibus lis erat aut

etiamnum est movenda? Certè si alicui lis est movenda propter omissa in disputatione aliquâ aut exercitio Academico, unâ liturâ obduci possent scripta Theologica ferè omnia, maximè autem Disputationes. Adde, quòd ea, quæ à me ibi proposita sunt, sufficiunt adversus Bellarminum, cui & sociis ipsius tantùm opposui Disputationem illam, ita postulante ordine ac serie disputationum & Lectionum mearum. Dices, ideò proponi dubia illa, quò explicentur in usum Ecclesiæ ob temporum pericula, ea quæ ambiguè à me dicta sint. Sed profectò si in usum totius Ecclesiæ voluissem disputationem edere; nemo qui me novit dubitare debet, quin uberius & explicatius omnia tractaturus fuissem. Et verò Confessiones ut & scripta illa, quorum memini, edita sunt temporibus æquè periculosis, imò quædam etiam longè periculosioribus, quàm moderna sunt. Nec denique affectæ ambiguitatis quicquam in eâ Disputatione est, nec quicquam ibi deprehendi potest, quod alicui obscurum aut ambiguum videri queat, quod non ibidem pro instituti ratione ac brevitate vel meis vel aliorum verbis explicatum sit & clarius dictum. Hæc in genere.

Nunc

Nunc in specie ad singulas Considerationes respondebo, & quidem breviter. Nam omnia adferre, quæ ad eas aut similes alias Quæstiones dicere possum, justi voluminis est, ut dictum.

Responsio specialis ad Annotationes Circa Quæst. primam.

I. Quęrere quid pręterea sit Magistratus respectu Ecclesiæ, est reverâ aliud nihil quàm quærere: Quam nam potestatem habeat Magistratus in Ecclesiâ seu circa Ecclesiam & res Ecclesiasticas, præter illam quam Bellarm. ei assignat? prout à me Quæstio formata est conceptis verbis. Atqui hoc ipsum tractatur tùm in genere Qq. 1. 2. 3. tùm in specie Qq. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. 11. 12. II. Si quis tamen velit (quamvis opus non sit) non in casu obliquo, non paronymicè, sed in casu recto & Synonymicè formari enunciationis prędicatum, dico: Magistratus respectu Ecclesiæ est præcipuum membrum Ecclesiæ, & eo respectu partes etiam suas habet in vocatione Ministrorum, quia vocatio ministrorum ad totam Ecclesiam pertinet. item: Magistratus respectu Ecclesiæ est director Ordinis externi Ecclesię, imperio & gladio

arma-

armatus, & ideo potestatem habet reliquam, quam ipsi in disputatione attribuo, ut custos ac vindex utriusque tabulæ legis. Quod queritur: *An Magistratus sit Dominus aut caput Ecclesiæ?* Respondeo breviter, me malle cum Scripturâ loqui, quę illum honorem Soli Christo tribuit; & voces duriores suis auctoribus relinquere, qui sese ipsos explicare debent, prout etiam Orthodoxi, qui illa Epitheta Magistratui tribuunt, sese explicant. Ad quæstionem: *An Magistratus habeat munus aliquod in Ecclesia?* Respondeo, eum propriè loquendo munus in ecclesia non habere. Propriè enim & formaliter munus in Ecclesiâ habere est defungi ministerio aliquo Ecclesiastico, quæ quatuor recensentur in Constitut. Dordrac. art. 2. &c. Constat autem Magistratum nullum ex iis ministeriis habere. Sed habet potestatem coactivam externam in Ecclesiâ, seu potiùs circa Ecclesiam sive circa res & personas Ecclesiasticas, tanquam custos ac vindex utriusque tabulę legis, & tanquam nutricius ac defensor Ecclesię. Quę quidem potestas exponitur in Corollario Interrogatorum, distinctione *Regni generalis & specialis Dei*, &c. Eam Cl. VValæus hinc inde vocat *superinten-*

intendence sur l' office des ministres inspectionem supra officium ministrorum; alii vocant *Politicam gubernationem Ecclesiæ*, item *Primatum Regium*, item *Primatum quoad curam Religionis & cultus Dei*, ut Polanus System. lib.7. cap. 19.& alibi. Alii Orthodoxi vocant *potestatem regiam circa Ecclesiastica*, ut Pareus Comment. Rom. 13. p. 1075. item jurisdictionem Ecclesiasticam ib.p.1078. item *potestatem Ecclesiasticam non internam, quæ ab Ecclesiasticis Ecclesiasticè in Ecclesiâ exercetur docendo, solvendo, ligando, administrando Sacramenta*, &c. *sed externam, quæ est νομοθετική & circa Ecclesiasticas res & personas extra templum civiliter exercetur* ib. p. 1097. De quâ ultimâ locutione Cl. Rivetus in Decal. p. 261. ita loquitur: *Quam igitur jurisdictionis potestatem in Ecclesiasticis & spiritualibus rebus Magistratui adscribamus, videndum est. Eam Spiritualem & Ecclesiasticam si quis dicat, id ita intelligi debet, ut non formaliter, ut ita dicam, Spiritualis & Ecclesiastica dicatur: Est enim pars potestatis politicæ & temporalis; sed objectivè ita appelletur, quia exercetur circa res Ecclesiasticas & Spirituales, tenditque ad eas asserendas & conservandas*, &c. Quod denique dicitur de mente Orthoxorum, qui Magistratum Ecclesiæ defensorem vocant,

cant, contra me non militat; tùm quia ipse in thesi conceptis verbis dixi, extra dubium esse, quòd Magistratus defensor Ecclesiæ sit, tùm quia nullus Orthodoxus Theologus unquam scripsit hactenus Magistratum nullam aliam potestatem habere in rebus Ecclesiasticis, quàm ut sit defensor Ecclesiæ, quod consequenter est τὸ κρινόμενον non inter me & Orthodoxos, contra quos non disputo, sed inter me & Pontificios, contra quos disputo.

QUÆST. II.

An ad Magistratum non pertineat cura veræ Religionis nisi ad præscriptum ministrorum Ecclesiæ?

ITa quidem Bellarm. lib. de Laicis cap. 18. ubi statuit; *Principum esse dare operam, ut ea fides servetur, quam Episcopi Catholici, & præcipuè summus Pontifex docet esse tenendam;* quo aliud nihil vult, quam ejus curam debere tantùm sequi judicium latum ab Ecclesiâ; & aliam nullam esse debere, quàm ut tueatur & exequatur, quod à Pasto-

Pastoribus est prçscriptum, ut Q. prç-
cedente dictum; alioquin eum non
debere curam ullam rerum Eccle-
siasticarum habere, nec ante, nec post
dictamen Pastorum. Hinc clarius se
exprimit lib. 1. de Pontif. cap 17.
ubi contendit: *Magistratui nullo modo
convenire regimen Ecclesiæ*, quod ipse
vocat *rebus Ecclesiasticis se immiscere.*
Et ibid. dicit, *Magistratum regere
homines, ut homines sunt, non autem ut
Christiani, & pro fine habere tempora-
lem quietem & salutem populi, non autem
vitam & felicitatem sempiternam, hunc
enim esse finem tantum Episcoporum seu
ministrorum Ecclesiæ*, & lib 5. cap. 6.
*Politica potestas pro fine habet tempora-
lem pacem; Ecclesiastica salutem æternam.*
Nos affirmamus, & contra Bellar-
minum hanc propositionem forma-
mus: *Magistratus pro fine præcipuo
debet habere salutem & felicitatem populi
non temporalem solùm, sed etiam æter-
nam; adeoque ad eum pertinet cura veræ
Religionis, quâ ipse per se tenetur sollici-
tus*

tus esse, de eâ introducendâ ubi nondum exercetur, conservandâ ubi in usu est, vindicandâ ubi corrumpitur, restaurandâ ubi collapsa est, & quidem hæc omnia secundum præscriptum verbi Dei. Hæc propositio est etiam totius Ecclesiæ Reformatę doctrina, quemadmodum rectè pronũciat *Sibbrandus* contra *Grotium* p. 115. &c. & *Cl Walæus* lib. allegato p. 58. ait; *omnes Reformatos Theologos fateri Magistratui competere inspectionem etiam & potestatem in rebus Religionis.* Vide loca & Confess. modo laudatas, speciatim *Belgic.* art. 36. *Helv.* c. 30. *Scot.* art. 24.

Probatur hæc propositio 1. ex Deut. 17. 18. 19. 20. 2. Reg. 18. 6. Rom. 13, 4. 1. Tim 2. 2. Deinde ex praxi piorum Regum ac Principũ V. T. qui summopere laudantur ob curã illam quemadmodũ è contrario vituperantur ii principes qui curã illam verę religionis non habuerunt. Ubi observandum omnes pios Principes curam gessisse veræ Religionis ex

mandato

mandato generali Deut. 17. quosdam etiam de officio illo suo edoctos fuisse revelatione speciali, prout tunc Deus ad Ecclesię suæ ætatem & captum se accommodabat; utrovis modo edocti fuerint, certum tamen est, eos nihil in ea re præter aut contra officium suum fecisse. Horum exemplum sequuti sunt Imperatores pii, & hodie sequuntur Reges ac Principes & Magistratus Orthodoxi omnes. Tertiò patet ex noxio effectu contrarii. Nam quando deest cura Magistratus circa veram Religionem, eam facile corrumpi & idololatriam introduci testatur experientia tum Ecclesiæ Israëliticæ Judic. 17. 3. 4. 5. 6. cap. 18. 1. tum Ecclesię Christianę sub Papatu. Denique patet ex eo, quod ipsum jus naturæ hoc docuit Ethnicos sapientiores, qui ut rectè ait gravissimus Theologus *Pareus*, unanimi consensu Regibus suis demandarunt curam Religionis. Aphor. art. 11. §. 18.

item

item in comment. ad Rom. cap. 13. Hęc argumenta & alia modò laudati Theologi afferunt. Excipit quidem Bellarm. & alii Pontificii ad argumentum secundum, *Mosem cultum Dei instituisse* &c. *ut summum Sacerdotem & Prophetam; Reges idem fecisse extraordinariâ auctoritate non tam ut Reges, quàm ut Prophetas* lib. 1. de Pontif. cap. 7. Sed futile est & ineptum hoc effugium, ut ostensum est à Wittakero, Martyre, Junio, Pareo, Clarissimo Riveto, & aliis.

Objicit Bellarm. ibidem, Regem non debere fungi officio sacerdotum & affert inter alia exemplum *Vziæ* Regis volentis thus adolere, qui ideò leprâ à Deo percussus fuit; quod exemplum Pontificii decimo quoque verbo ingerunt. Sed ineptè & non ad rem, ut ostensum est ab iisdem Theologis. Inter quos *Petrus Martyr de Vzia* ait; *Ille contra Dei præscriptum sacrificare voluit, at si sacerdotem delinquentem coërcuisset, aut in ordinem*

rede-

redegisset, nihil illi mali ea de causâ contigisset. Locis communib. append. alleg. p. 723. Affert etiam Bellar. *Conciliorum* & *Patrum* dicta, quæ nisi accipiantur de proprio officio ministrorum, nimirum quòd reges non debeant concionari, Sacramenta administrare, ligare & solvere, item quod non habeant potestatem absolutam circa res Ecclesiæ, quidvis pro lubitu & contra verbum Dei statuendi; deniqûe de Regibus & Magistratibus qui adversarii sunt Ecclesiæ ac Religionis, meritò rejiciuntur à *Pareo* comment. Rom. p. 1077. tanquam erronea & quę ad Papatum viam straverunt, ut in aliis dogmatibus, ita etiam in hac materia.

QUÆST. III.

An potestas Magistratus sese extendat ad omnes partes officij ministrorum Ecclesiæ?

B*Ellarminus* negativam tuetur, ut ex præcedentibus patet & porro ex

ro ex sequentibus manifestum fiet. Contrà formamus hanc propositionem: *Potestas Magistratus sese extendit ad omnes partes officii Episcoporum seu ministrorum Ecclesiæ.* Hanc totius Ecclesiæ Reformatæ doctrinam esse patebit ex sequentibus, quam *D. Amesius* paucis his verbis complexus est: *Nulla res, persona aut causa tam est Ecclesiastica, quin aliquà ratione pertineat ad jurisdictionem Magistratus.* Medull. Theol. de Magistratu p. 325. Quâ in re sequutus est *Petrum Martyrem*, qui Locis commun. Classe IV. cap. 13. §. 9. ait: *Rursus Politica potestas ad omnia extenditur, quæ ad potestatem Ecclesiasticam* (in quibusdam exemplaribus legitur *Politicam*, sed errore typographico, ut ex toto orationis filo, unusquisq; videt) *pertinent. Sed quonam tandem modo? An requiret civilis potestas bonos animi motus & intimam pœnitentiam. Non potest ipsa hæc efficere: optabit tamen ut habeantur, & utetur iis*

mediis,

mediis, per quæ haberi possint. Curabit enim ut Episcopi, Pastores & Doctores in Ecclesiâ purè doceant, paternè reprehendant, & ex verbo Dei administrent Sacramenta. Hæc quidem per se non facit Magistratus; sed curare debet, ut sint ad manus, qui ea rectè faciant. Proinde utraque potestas latissimè patet, & omnia complectitur, sed non eodem modo. Similiter *Sibbrandus* contra *Grot* p. 120. ait: *Regis esse curare ut OMNIA rectè & legitimè fiant, non tantum in politiâ, sed etiam in Ecclesiâ. Ivellus* Episcopus Sarisburiensis (quem idem *Sibbrandus* meritò vocat magnum illum *Ivellum & non tantum Angliæ, sed etiam totius Christiani orbis decus* ibid. p. 183.) in Antapologia, cap. 9. idem affirmat, & simul exponit, ut *P. Martyr* exposuit, quomodo ista propositio sit intelligenda; *Tametsi,* inquit, *penes & Principem & Episcopum Ecclesiæ procurationem esse concedimus, non eodem tamen genere procurat uterque. Hujus enim procuratio illis*

rebus continetur: Euangelium docendo, Sacramenta administrando, Sacerdotes initiando, excommunicando, absolvendo &c. illius autem non in eo versatur, ut istorum quicquam faciat ipsemet, sed in hoc tantum, ut ab Episcopis & fieri hæc curet, & verò rectè ac fideliter fieri. Vide etiam Cl. *Rivetum* in Explicatione Decal. p. 260. 261. Et hoc est, quod *Constantinus Magnus* apud *Eusebium* lib. 4. c. 24. de Vitâ ipsius, dicebat memorabili voce Episcopis: *Vos estis Episcopi intra Ecclesiam, ego extra Ecclesiam*, hoc est, templum, ut rectè Cl. *Rivetus* exponit. Summa: Magistratus potestas habet se ad quasdam partes officii ministrorum objectivè tantum seu directivè, non autem formaliter, non n. ipse administrat Sacramenta &c. sed tantùm curat, ut illa recte fiant. Ad alias autem habet se & formaliter & objectivè; ut enim Pastores habent jus vocandi alios pastores, monendi suos Symmystas officii, judicandi in Synodis,

nodis, constitutiones Ecclesiasticas in Synodis sanciendi, presidendi in conventibus Ecclesiasticis, deponendi mnistros; ita Magistratus & unâ cum ministris omne illud jus habet, & præterea, pro imperio & potestate suâ coactiuâ externâ, quam habet, dirigit ordinem externum & curat, jubet, ut ministri omnia illa rectè faciant, seu actionibus illis rectè defungantur. Et potest hęc distinctio optimè intelligi per analogiam ac similitudinem officii Doctorum seu Professorum Theologię. Horum enim officium est etiam ministerium Ecclesiasticum ordinarium à Christo institutum Rom. 12. 7. Eph. 4. 11. 12. 13. 14. & in eo consistit, ut tùm vivâ voce in Scholis, tùm scriptis in totâ Ecclesiâ doceant veram cognitionem & cultum Dei; adeoq; extendit sese ut ad omnes alias res divinas in verbo Dei revelatas, ita etiam ad omnes partes officii ministrorum Ecclesiæ: sed cum hoc discri-

mine, quòd quaſdam actiones paſtorum formaliter exercent, circa alias autem objectivè tantùm ſe habent. Formaliter quoad doctrinam verbi divini & veram Religionem, quam utriq; tenentur docere & tueri contra Hæreticos & alios errantes; item conſequenter quoad judicium ferendum de rebus fidei, tùm extra Synodum, tùm in Synodis. Objectivè autem quoad ſpecialem doctrinam de officio paſtorum. Nam quamvis ipſi, (ſi ad officium Paſtorum vocati non ſint) haud habeant poteſtatem concionandi, Sacramenta adminiſtrandi, diſciplinam Eccleſiaſticam exercendi, paſtores vocandi, Leges ferendi Eccleſiaſticas, tamen docent ex verbo Dei, quam doctrinam populo annunciare debeant veri paſtores, quomodo Sacramenta adminiſtrare, diſciplinam Eccleſiaſticam exercere, in externo ordine Eccleſiæ ſe gerere debeant tàm erga Magiſtratum, quàm erga ſe ipſos & quosvis homines

homines tùm orthodoxos, tùm errantes, item quæ ad legitimam vocationem Pastorum requirantur, quę sit natura Legum Ecclesiasticarum, quousque denique se potestas eorum seu potiùs ministerium extendat. Similis est ut ut longè excellentior ratio Magistratûs quantum hoc attinet. Is enim etiam circa actiones omnes Pastorũ versatur, partim formaliter, partim objectivè; sed cum hoc discrimine, quod Doctores Ecclesiæ docendò in *Scholis* vivâ voce, & in Ecclesiâ totâ scriptis circa eas versantur; Magistratus autem operando, præcipiendo cum imperio ac potestate directivâ & coactivâ quoad ordinem externum, ut ex seqq. porrò patebit. Vulgò distinguunt officium pastorum in potestatem ordinis & jurisdictionis. Illam constat non habere Magistratum; nec etiam hanc quatenus consistit in censuris Ecclesiasticis, hoc est; retinendo aut remittendo peccata: sed quatenus con-

sistit in exteriore regimine seu directione ordinis externi & officii ministrorum.

Cæterum veram esse hanc propositionem, patebit ex inductione, quam sequentibus Quæstionibus exhibebimus, ubi speciatim & distinctè post has generales propositiones tres, agemus de partibus potestatis Magistratus circa res Ecclesiasticas. Quæ contra objicit *Bellarminus* lib 1. de *Clericis* c. 28. & lib. de Laicis c. 17. item de *Pontif. Rom.* lib. 1. c. 7. quæ item alii Pontificii afferunt pro suâ opinione futilia esse ostenderunt inter alios, *Ivellus*, *Pareus*, *Junius*, *Chamierus*, alii locis citatis.

Ad Quęst tertiam.

Nisi bene distinguatur thesis ista, & explicetur quo pacto Magistratus potestas se extendat ad omnes partes officii ministrorum Ecclesiæ, an non datur Magistratui occasio involandi in omnes partes muneris & Ministerii Ecclesiastici?

Resp.

Per totam disputationem id explicatur; &

& primò quidem In genere Q. III· paginis ferè integris duabus distinctione potestatis Magistratus formaliter & objectivè consideratę; tum in specie Quęstionib. seqq. Quemadmodum etiam hinc inde in Disputat. speciatim in Conclusione, inculcatur, Magistratum non debere involare in partes eas, quæ ministerio Ecclesiastico propriæ sunt. Non n. potest, aut debet Magistratus ipse cōcionari, administrare Sacramenta, exercere disciplinā Ecclesiasticam, ut non semel in disputatione moneo. Nec etiā sibi debet arrogare potestatem talem, quam ipse à Christo & quidem solus immediatè acceperit, ita ut ministri, aut nomine ipsius concionentur, Sacramenta administrent, disciplinam exerceant, Ecclesiam gubernent; aut excludantur ab Electione seu vocatione ministrorum & à judiciis Ecclesiasticis, quos errores Arminianorum statim in prooemio longissimè & expressissimè rejeci.

QUÆST. IV.

An Magistratus habeat potestatem vocandi Pastores seu ministros Ecclesiæ?

BEllar. neg. l. 1. de Pontif. c. 4 de Cleric. c. 47. de Laic. c. 17. quemadmodum etiam affirmat Electionē Episcoporum jure divino ad solum Pontificem Romanum pertinere, de Cleric. c. 8. Nos affirmamus, adeoq; è contrario hanc propositionem formamus: *Vocatio pastorum pertinet ad potestatem Magistratus & formaliter & objectivè.* Seu clarius loquendo: *Non soli ministri & personæ Ecclesiastica, sed etiam Magistratus de jure divino potestatem habent vocandi pastores Ecclesiæ: insuper quoque Magistratus officium est curam habere, ut ab ipsis ministris in vocatione pastorum omnia rectè fiant, & abusus impedire imperio & potestate suâ.* Propositio igitur hæc est bimembris. Prius membrum est: *Etiam ad Magistratum pertinere formaliter jus vocandi ministros.* Hæc doctrina est totius Ecclesię Reformatę, expressa etiam constitutionibus Ecclesiasticis speciatim Synodi *Dordracenæ* art. 4. 5. quemadmodum etiam

ex

ex praxi Ecclesiarum Reformatarum patet. Unde in celeberrimâ & optimè constitutâ Ecclesiâ *Genevensi*, quando pastori successor dandus videtur, Senatus Ecclesiasticus, antequam ad nominationem procedat, petit facultatem à Magistratu: quam si non impetrat, suspendit aut planè omittit nominationem, si impetrat, progreditur, & tunc Magistratui proponit eum, qui ipsi maximè placuisset; qui si approbetur Magistratui, res rata est salvo jure totius Ecclesiæ; si displicet Magistratui, alius eligitur. Et recte atque prudenter observat *Wernerus Helmichius* olim Ecclesiæ Vltrajectinæ Pastor, *indifferens esse ex se, ut vel Magistratus, si alicujus operâ uti velit in ministerio eum proponat Consistorio, vel Consistorium aut Ecclesia si quem cupiat vocari, eum Magistratui proponat*; in Tractatu Belgico de vocatione ministrorum. Quę prudētia etiam placet *Sibbrando* cont. *Grot*. p. 172. ubi inter alia ait se

de formuleitatibus cum nemine contendere velle. Et Cl. *Walæus* eam *Helmichii* sententiam quoque approbat p. 174. Quod & ipsum in Ecclesia Genevensi observatur. Nec puto ullum modestum virum negaturum istam libertatem Magistratui, modò Ecclesiæ salva maneat sua libertas. Competit autem Magistratui jus vocandi ministros non ex privilegio humano speciatim Pontificum, sive eo quod jus Patronatus vocant, sive alio aliquo simili privilegio; sed de jure divino, & quidem duplici nomine, tùm ratione personæ, tùm præcipuè ratione muneris, ut mox patebit, quemadmodum rectè observat Cl *Rivetus* p. 267. Quod de pastoribus diximus, etiam de Seniorum vocatione esse intelligendum, ait *P. Martyr* in 1. Sam. c. 8. dicens, eo sensu *Seniorum constitutionem esse de jure à Magistratu.* Ubi etiam observandum quod Cl. *Walæus* monet p. 173. non solùm ad Magi-

Magistratus summos pertinere jus vocandi pastores; Sed etiam *Magistratum subalternum seu inferiorem tanquam principale membrum cujusque Ecclesiæ in eâ re esse agnoscendum, quamvis lege speciali summi Magistratus ad eam rem auctoritatem non accepisset.* Et approbat præterea cum multis Doctoribus Reformatis speciatim cum *Calvino* Institut. IV. c. 4. §. 12. sententiam *Leonis* Episcopi Romani, qui dicit etiam aliorum membrorum notabilium & virorum honoratorum judicia & testimonia, nec non desideria civium attrendenda esse, eorumque rationem in electione pastorum habendam. Ita enim Leo Epist. 87. *Expectanda sunt vota civium, testimonia populorum, honoratorum arbitrium, Electio clericorum.* Item: *Teneatur honoratorum testimonium, subscriptio clericorum, ordinis consensus ac plebis; aliter fieri nulla ratio sinit.*

Posterius membrum hujus propositionis est: *Vocationem pastorum perti-*

nere ad Magistratum etiam objective. Hæc doctrina etiam est Ecclesiarum Reformatarum; eamque Cl. *Walæus* p. 174. dicit esse *conformem verbo Dei, praxi Ecclesiæ primitivæ & Ecclesiarum, quæ quam optimè Reformatæ sunt.* Et p. 173. dicit *Supremos Magistatus tanquam nutricios Ecclesiæ & defensores constitutionum Jesu Christi, curam gerere debere, aut per se ipsos, aut per deputatos suos, ut secundùm ordinem suprà commemoratum personę Ecclesiasticæ eligantur, idque sub ipsorum inspectione, seu directione;* & paulò post addit, *debere Magistratum curam gerere & operam dare, ne pastores abutantur potestate istâ spirituali.* Similiter p. 175. 184. 189. docet *Magistratum inspectionem debere habere in Electione & vocatione ministrorum, ne abusus in ea committantur.* Et clarius ac significantius Cl. *Proff. Leydenses in Synopsi purioris Theologiæ* Disput. L th. 47. *Magistatus ad conferenda Ecclesiæ munera, non solùm intercessione, sed etiam auctoritate suâ uti potest,*

potest, & corruptelas impedire aut corrigere si quæ civili animadversione dignæ p.817. Etth.5'2. p.819. dicunt *Magistratum tanquam quarti præcepti custodem procurare debere, ut viri idonei per presbyterium accedente tùm INPRIMIS ipsius, tùm totius quoque Ecclesiæ consensu ac suffragio ad munus pastorale legitimè vocentur, ac coram Ecclesia ordinentur ex more Apostolorum & Euangelistarum.* Act. 14. 23. Tit 1. 5. *quem patres nostri sub piis viventes Magistratibus constanter observarunt.* Summa: *cura, ut omnia rectè fiant, in vocatione seu Electione pastorum pertinet ad Magistratum*, ait rectissimè *Amesius* Cas. conscientiæ p. 265. Cum hac curâ & potestate Magistratus circa Electionem, conjuncta est etiam potestas illius circa *ordinationem* pastorum. Constat Magistratus potestatem non versari circa eam formaliter; versatur tamen circa eam objectivè. Nam ut rectè idem vir Clarissimus ibidem ait: *Ordinationem*

potest Magistratus imperare post legitimum personæ examen, sed eam non potest per se exercere.

Confirmatur hęc propositio quoad prius membrum: Quia jus vocationis pastorum ad totam Ecclesiam pertinet, Ergo etiam & insigniter ad Magistratum; *tum quatenus est Ecclesię membrum, ratione personæ; cùm enim jus illud toti etiam populo competat, non potest excl[..]i pius Magistratus; tum maximè ratione muneris, cùm populi sit caput.* Hoc argumentum totidem verbis est Cl. *Riveti* p. 267. a. Posterius membrum probatur ex eo; quia *Magistratus est custos Quarti præcepti, quo sanctificatio sabbathi & consequenter procuratio cultus divini ipsi est commendata;* quod est argumentum totidem verbis Cl. *Walæi* p. 173. & Cl. Proff. Leydens. verbis paulo ante citatis ex th. 52. Accedit praxis piorum Regum ac Principum, tum in Ecclesia Veteris tum in Ecclesia N. Testamenti. Quæ pro suâ sen-

ten-

tentiâ affert *Bellarminus* refutata vide apud *Junium*, *Wittakerum*, *Pareum*, alios. Atque hæc quidem est ordinaria potestas quam Magistratus habet in Electione Ministrorum. *Extraordinariè v. g. quando dissensio circa Electionem est inter personas Ecclesiasticas, Magistratus aliquando plus auctoritatis debet adhibere tanquam conservator Ecclesiæ* ait Cl. *Walæus* p. 185. quemadmodum à *Theodosio* M. factum, qui cum videret dissentire Episcopos illius provinciæ inter se circa Electionem Episcopi Constantinopolitani, nullius nominationem voluit ratam habere; sed cùm ipsi commendatus esset per Episcopum Antiochenum *Nectarius*, eum proposuit Imperator Ecclesiasticis & cupere se eum Episcopum habere exposuit. Resistebant multi Episcopi; permansit tamen Imperator in suâ sententiâ; tandem cesserunt ipsi omnes, & suffragio Imperatoris suum etiam calculum unanimi consensu addidêre. Quod exem-

exemplum etiam ex *Sozomeno* lib. 7. c. 8. refert Cl. *Walæus* ibidem.

Ad Quæst quartam.

Si Magistratus jure divino potestatem habet vocandi Pastores Ecclesiæ, probari debet è verbo Dei ista potestas. In Vet. Testamento Magistratus non constituerunt sacerdotes, & ministros cultus divini, sed ipse Deus sibi selegit tribum Levi, Aaronemque, & ejus posteros, ipse constituit in sacerdotes. In Novo Test. Ipse Christus dedit Apostolos, Prophetas, Euangelistas, Pastores & Doctores: qui deinceps, per Ecclesiæ suffragia, alios elegerunt, vocarunt, instituerunt. Ubi ergo jus illud divinum? Aliud est pastorem non præfici Ecclesiæ, ubi illa in publico versatur, & à Magistratu defenditur, nisi conscio & consentiente Magistratu: quia Pastor ille in publico loqui debet: Aliud verò, Ius vocandi Pastores formaliter pertinere ad Magistratum.

Resp.

Quando dico Magistratui competere jus vocandi aut formaliter vocandi Pastores, non hoc volo, ac si Magistratus solus exclusâ Ecclesia, posset vocare Pastores. Nam contrarium expressè statuo sæpissimè & forte ad minimum tricies in hac disputatione, atque contendo Pasto-

ribus

ribus & Ecclesię jus suum integrum servari debere, tùm in aliis rebus omnibus, tùm in vocatione Ministrorum: speciatim in hac Q. IV. ubi explico meam thesin verbis aliorum Theologorum, dicens inter alia ex Synopsi DD. Proff. Leydd. eum *debere procurare, ut Pastores per PRESBYTERIUM legitimè vocentur.* Sed hæc est mens mea; quod quemadmodum Pastores habent suffragium suum in vocatione ministrorum; ita etiam Magistratus suffragium suum in vocatione eorum habent. Eam mentem meam esse & non aliam ex verbis meis est manifestum. Nam de Imperatore Theodosio sub finem Quæstionis loquens aliam potestatem formaliter vocandi ministros non tribuo quàm jus *suffragii*, sive *suffragium in vocatione Nectarii.* Et me ibidem interpretor verbis D. Proff. Leydd. ex Synop. disput. L. th. 51. ubi dicunt *Magistratum tanquam Quarti præcepti custodem procurare debere, ut viri idonei per presbyterium accedente tùm inprimis ipsius, tùm totius quoq; Ecclesiæ consensu ac SUFFRAGIO ad munus pastorale legitimè vocentur.* Summa; aliud nihil volo, quàm vult Synodus Dordracena Constitut. Eccles. art 4. 5. ad quam ibidem me conceptis verbis refero; quod

quod etiam vult Praxis Ecclesiarum Reformatarum speciatim in Belgio, & quod denique volunt Theologi nostri, quos ibidem allego. Suffragium porrò illud Magistratus vocatur etiã *consensus*, prout non solùm in Consideratione vocatur, sed etiam à me ipso ex loco modo allegato Synopseos. Et certè consentire & suffragari συντίθεσθαι & ψηφίζεσθαι sæpè pro eodem sumuntur apud auctores, quâ profanos, quâ Ecclesiasticos, cujus rei varia exempla afferre possem. Quod non intelligũt Pontificii, qui ex eo, quod interdum Imperatores dicuntur consensisse Synodo, inferunt eos suffragii jus in Synodis non habere: Vocatur etiam *Confirmatio* ab aliis, ut Sibbrando cont. Grot. p. 172. item *approbatio*, ut in Canonibus citatis art. 4. 5. Iunius lib. de Cleric. c. 7. n. 31. vocat etiam *approbationem*, item *Electionem* n. 17. cùm inquit: *Nec populi solius aut Magistratus est Electio, quod Concilium 2. Nicænum negat, nec solius Cleri, quod prisci Canones; sed conjunctim ad utrosque pertinet, ut Capitulari Caroli & Ludovici prudenter cautum.* Hoc est quod ego volo & non aliud. Alii *vocationem* vocant, ut Pareus Comm. Rom. c. 13. p. 1086. Cl. Rivetus p. 267. & alii. Vsus autem sum termino Scho-

Scholastico convenienter & idoneè, quia *natura seu forma* vocationis non consistit vel in successione hæreditariâ, ut in Vet. Testam. vel in electione per sortem, ut electio Matthiæ Apostoli Act. 1. sed in electione per suffragia, & speciatim etiam in suffragio Magistratus, non tantùm in suffragio Pastorum & populi, ut rectè docetur etiam Constit. Dordrac. art. 4. ubi Synodus his verbis inter alia utitur: *Legitima eorum qui nondum functi sunt ministerio, hisce tribus vocatio continetur: primo Electione &c.* Mihi alioquin perinde est, quo nomine suffragium Magistratus appelletur; modò de re constet & Magistratui non minus quam Pastoribus & reliquæ Ecclesiæ jus suum sartum tectum conservetur. Tale autem jus seu suffragium, sive consensum, sive confirmationem, sive vocationem, sive approbationem competere Magistratui, ex Scripturâ uno verbo ibidem ostendi. Docet enim ea jus vocationis ministrorum pertinere ad totam Ecclesiam (prout speciatim patet ex Act. 14.23.) Ergo etiam docet illud ad Magistratum simul pertinere.

QUÆST.

QUÆST. V.

An ad Magistratum pertineat judicium de Religione & controversiis fidei & causis Ecclesiasticis?

BEllarminus negat cap. 17. lib. de Laicis lib. de Clericis cap. 28. lib. 1. de Pontifice cap. 7. unde etiam negat Magistratus esse *convocare Concilia* lib. 1. de Conciliis capp. 12. 13. Sed dicit c. 19. eum *vocari* ab Ecclesia ad Concilium; negat illius esse in iis præsidere capp. 19. 20. &c. & quando locum occupat supra Episcopos, attribuit id non juri summorum Magistratuum, sed tolerantiæ Ecclesiasticorum: quamvis, inquit, *utcumque tolerabile sit Principes seculares in concilio sedere ante alios Episcopos, modò non ante summum Pontificem.* ibid. Negat etiam Magistratui summo *definitivum suffragium in Conciliis competere* c. 15. *Sed ait Principes vocari tum, ut Concilium defendant, tùm ut testes & conscii decretorum Concilii,*

postea

postea transgressores & contumaces pœnis corporalibus puniant; Et sic *cum Episcopi in conciliis subscribant definiendo, ut judices: Imperatores* ait *consentiendo subscripsisse, idq; solum in paucis generalibus Conciliis* cap. 15.

Nos affirmamus & contra *Bellarm.* hanc propositionem formamus: *Non solùm ad Pastores & Doctores Ecclesiæ, sed etiam ad Magistratum pertinet judicium de Religione seu rebus fidei & causis Ecclesiasticis, unicè ex verbo Dei instituendum: & quidem ad eum pertinet tum formaliter, tum objectivè.* Hæc etiam est doctrina totius Ecclesiæ Reformatæ. Vide speciatim *Ivellum* Episcopum Sarisburiensem Apolog. capp. 9. 10. Item Antapolog. Cap. 9. 10. &c. *Chamierum* de Oecumenico Pontifice; *Wittakerum, Junium* cont. *Bellarm. Sibbrandum,* item *Bogermannum* cont. *Grot.* Cll. *Proff. Leydens.* in Synopsi Disput. XLIX. Cl. *Rivetum* in Decal, Cl. *Walæum* de officio ministrorum. *Amesium* cont. Bell.

Bell. *Altstedii* Supplem. in *Chamierium* &c alios. Est autem hęc propositio bimembris, primò dicimus *ad Magistratum pertinere judicium de religione* &c. formaliter. Hoc membrum ut eo magis cum altero membro intelligatur, tenendum est judicium circa res Religionis & Ecclesiæ triplex esse, discretionis, definitionis, & executionis. Quantum attinet ad judicium discretionis, pertinet illud ad omnes homines, adeoque etiam consequenter, imò magis ad Magistratum, idq; omni tempore, speciatim ante Synodum, in Synodo post Synodum. Quantum ad judiciũ definitivum (quod ita vocatur ab orthodoxis per accidens, nim. respectu verbi Dei, cui per se unicè judicium definitivum competit) convenit illud Magistratui & in Synodo, ita ut habeat suffragium decisivum æquè ac Doctores Ecclesię, & post Synodum, quando aut à parte condemnatâ, querela defertur ad Magistratum,

stratum, aut Ecclesia de errantibus vel Hæreticis apud ipsum conqueritur, ut custodem ac vindicem legis divinę: Hęretici autem apud ipsum se defendere conantur. Et tunc rectè fecerit, si in consilium adhibeat peritiores & pios Theologos; nisi fortè rei gravitas postulet, ut de ipsius voluntate res in aliâ Synodo resumatur, prout nonnunquam à piis Impp. in vetere Ecclesiâ factum. Quantum ad judicium exequutionis, pertinet illud ad eum post Synodum, ita ut ipsius officii sit, per judicia publica exequi sententiam, quæ non solùm Ecclesiasticorum est; sed etiam primò & præcipuè ipsius Magistratus, ut nobilissimi membri & directoris totius Synodi.

Posterius membrum est, quòd judicium de Religione &c. pertinet ad Magistratum etiam objectivè, hoc est, ita ut ipsius officium sit dirigere quoad ordinem externum judicia publica Ecclesiasticorum de Religione

ligione &c. Cùm enim, quando controversia est aliqua fidei orta, seu quæstio de dogmate valdè dubio, sive cujus non notoria est veritas & falsitas (nam notoriam veritatem non debet pati Magistratus in dubium vocari, nedum ad Synodum pertrahi, sed coërcere contradicentes potestate suâ coactivâ) ordinarius, & verbo Dei maximè conformis modus judicandi sit, qui à Synodis peragitur secundum verbum Dei; Magistratus est non vocari ad Synodum ab Ecclesiasticis, sed convocare Ecclesiasticos ad Synodum aut ipsis petentibus permittere Synodum. Et ubi Ecclesię deputatos nominârunt ipsarum est rem referre ad Magistratum, quo ita confirmentur à Magistratu, si is justas causas non videat eos rejiciendi, vide *Sibb.* p. 149. quemadmodum è contrario potest excludere personas ab Ecclesiis deputatas, quæ ipsi ob veras & justissimas causas displicent, & mandare Ecclesiis, ut

alios

alios, qui idonei sunt, eligant, ait Sibbrandus p. 149. Vide Cl. *Walæum* p. 214. 215. ubi inter alia ait *eum accedente Ecclesiarum assensu posse excludere eos, qui notorie affectibus suis ducuntur, & magis student propriæ gloriæ, quam paci Ecclesiæ.* Extraordinariè ipse etiam potest nominare personas, quas cupit interesse Synodo, maximè ubi Ecclesiæ turbatæ vehementer sunt, aut earum Reformatio instituitur, quo ultimo in casu potest uti Doctoribus, quos præsens opportunitas ipsi suppeditat. Vide eosdem locis citatis. Vbi jam Synodi initium est faciendum, ipsius est comparere in ea aut per se, aut per Legatos suos sive Deputatos. Potest etiam adducere secum ad Synodum viros doctos, & in rebus Theologicis benè exercitatos, quorum consilio utatur, ut Cl. *Walæus* monet p. 216. Comparet autem in Synodo cum potestate directivâ, quâ totum ordinem externum regit. Quare ipsius est præsidere

in Synodo, ita ut quemadmodum minister aliquis Ecclesiæ electivus & ministerialis præses est, quia minister est; ita ipse ut Princeps sit præses jure suo & quidem principalis. Ibi moderabitur actionem ita, ut omnia fiant piè, decenter, graviter, quietè, ordine, ut affectus exulent; si qui sint pertinaces, aut immodesti vel contumeliosi eos reprimet; in summâ operam dabit, ut ex verbo Dei lis decîdatur. Quod ubi factum est, non potest Synodi judicium publicam auctoritatem habere, nisi ad Synodi petitionem illud à Magistratu Summo confirmetur. Hæc etiam est declaratio posterioris membri. Confirmationem Propositionis hujus ut & responsiones ad argumenta *Bellarmini*, quia hæc res valdè latè patet, vide apud diversos ex citatis Theologis.

Ad Quæst. quintam.

An non ad thesis illius limitationem & explicationem, addi deberet, ut ad tutorem & defensorem

fensorem Ecclesiæ, ut certò sciat se veram Religionem & veram Ecclesiam defendere? Nam cum judicium de Religione, & controversiis fidei, & caussis Ecclesiasticis pertineat ad Pastores & Inspectores Ecclesiæ, an non considerandum & explicandum, quo modo & sensu ad illos pertineat: an ut ad delegatos à Magistratu: an vero ut cum Magistratu collaterales, in eâdem potestate cum illis positos: an denique ut ad Christi ministros? Quantum præjudicium poterit hinc creari Ecclesiæ Dei, ejusque ministris, nisi hæc rite explicentur?

Resp.

Ista limitatio seu explicatio argumentum continet, ex quo evincitur Magistratum debere judicare de rebus fidei. Quam explicationem seu argumentum haud obscurè expressi, quando in responsione ad Q. illam ibidem dico Magistratui competere judicium de rebus fidei, quando Ecclesia de errantibus vel Hæreticis apud Magistratum conqueritur, *ut custodem ac vindicem legis divinæ*; quæ verba ἐμφαλικώτατα sunt, & includunt consequenter id, quod in Consideratione dicitur. Nam si judicat ut custos ac vindex legis divinæ: Ergo etiam ut defensor Ecclesiæ, quæ est στύλος καὶ ἑδραίωμα τῆς ἀληθείας

Quod quæritur, quomodo igitur judicent Pastores? Respondeo hanc quæstionem pertinere ad discrimina officii Pastorum & Magistratuum in gubernatione Ecclesiæ, quæ octodecim esse dixi in Conclusione, brevitatis autem causâ non potui enumerare. Inter alia enim discrimina utriusque officii est, quod etiamsi & Magistratus & Pastores judicent de rebus fidei; tamen in eo differunt; quod Magistratus judicat ut judex, qui custos est utriusque tabulæ legis gladio corporali armatus & potestate coactivâ externâ, adeòque ut rectè dicitur in Consideratione ut defensor Ecclesiæ: Pastores autem ut ministri Christi atque Ecclesiæ vocati ad docendum in Ecclesiâ; seu ut custodes utriusque tabulæ legis gladio ministeriali ac spirituali verbi divini, & potestate coactivâ spirituali nomine Christi instructi. Adeoque non judicant ut delegati à Magistratu, quam sententiam Arminianorum expresse & procul rejeci in Procemio; neque etiam judicant nomine & titulo invidioso collateralitatis quo illi Ecclesias nostras odiosas reddunt; quamvis si adversarii collateralitatem vocent, quod & Pastores & Magistratus in Regimine Ecclesiæ Dei quoad

ordinem

ordinem externum suo modo conveniunt, *id ferre cogimur* prout prudenter D. Walęus alicubi loquitur. Unde patet hanc meam Thesin & doctrinam nullum afferre præjudicium Ecclesię aut ejus ministris: idque eo minus, quia expressè ibi dixi judicium de rebus fidei non ad Solum Magistratum pertinere, nec debere Pastoribus eripi jus suum de rebus fidei judicandi; sed pertinere illud etiam ad Pastores & Doctores Ecclesiæ: item ordinarium & verbo Dei maximè conformem modum judicãdi esse, qui à Synodis peragitur, secundùm verbum Dei &c

QUÆST. VI.

An Magistratus circa res Ecclesiasticas habeat potestatem cum imperio conjunctam & coactivam in Pastores Ecclesiæ?

BEllarminus non permittit Magistratui, ut in rebus Ecclesiasticis ullam potestatem exerceat in personas Ecclesiasticas, & contendit *eas liberas esse de jure divino in causis Ecclesiasticis à secularium Principum potestate.* lib. de Cleric. c. 28. proposit. I.

& propositione 3. ait *omnino absurdum esse, ut ovis Pastorem suum quocunque modo judicare præsumat.* Et sic etiam non permittit Magistratui, ut deponat ministros Ecclesiæ, quemadmodum etiam lib. 2. de Pontif. cap. 26. *negat imperatorem aut ullum Principem habere jus deponendi Papam.* Atq; hanc esse mentem ipsius quoque, cùm negat lib. 1. de Pontif. cap. 7. & lib. de Laicis c. 17. ad magistratum ullo modo pertinere regimen Ecclesię, aut judicium de Religione, per se patet. Nos affirmativam tenemus, & contra eum hanc propositionem formamus: *Magistratus circa res Ecclesiasticas habet potestatem cum imperio conjunctam & coactivam in Pastores Ecclesiæ & quasvis personas Ecclesiasticas.* Hoc est, Magistratus est non tantum monere & hortari pastores ad officium suum & quidem rectè atque secundum præscriptum verbi divini faciendum; sed etiam id ipsis cum imperio præcipere, & si

obedire

obedire nolint, potest eos in ordinem redigere, & cogere, ut officium rectè, vigilanter, impigrè, fideliter faciant, atque à malis & scandalosis actionibus abstineant. Adeoque pro delicti ratione potest in eos animadverrere civiliter, efficere seu mandare, ut suspendantur aut removeantur ab officio; speciatim si seditiosè concionentur, si populum contra Magistratum concitare conentur, si in Magistratum contumeliosi sint, & in eum conviтiis ac probris debacchentur (quod est unum ex gravissimis delictis, quorum in Scriptura falsi Doctores rei peraguntur 2. Pet. 2. 10. Jud. v. 8. veri autem Doctores ajunt *hoc grave crimen esse & non ferendum in Republicà benè constitutâ*: Sibbrandus cont. Grot. p. 1.) si errores aut hereses doceant; si denique alioquin flagitiosi sint. Hæc propositio etiam est totius Reformatę Ecclesię. Confess. Anglic. artic. 37. ait: *Magistratibus summis hanc prærogativam*

competere, quam in sacris scripturis à Deo ipso, omnibus piis Principibus videmus semper fuisse attributam: hoc est, ut omnes status atque ordines fidei suæ à Deo commissos, sive illi Ecclesiastici sint, sive civiles in officio contineant, & contumaces & delinquentes gladio civili coërceant. Petrus Martyr in 1. Sam. 8. pag. 50. *Quid ergo? inquies: an imperabit Magistratus ministris & concionatoribus? Respondeo, verbum Dei & sacramenta nulli potestati subjiciuntur: ministri autem subjiciuntur bifariam, & quoad mores & quoad functionem attinet. Nam si aut perditè vivant, aut officium non faciant, possunt corripi à Magistratu & summoveri &c. Bullingerus* de Episcoporum institut. *In illis ipsis libris* (Regum) *proditum est, à sanctis Regibus etiam summos Sacerdotes, ab officio fuisse amotos, & alios in locum constitutos. Cæterum non præter meritum ejus abjiciebatur, neque quicquam hic actum est contra leges Dei.* Et paulò post dicit. *In V. Testamento datam fuisse Prin-*

Principi potestatem agendi, quæ pertinebant ad incolumitatem & Religionis & Reipub. conservandam, etiam contra sacerdotes, si modo pergerent esse nebulones c. 3. f. 72. *Zanchius* Loco de Magistratu art. 7. ait: *Omnes homines, nemine excepto, ita Magistratui subjectos esse, ut si officium facere recusent, in eos animadvertere & omnes in officio retinere possit. Ivellus* in Apolog. item in Antapolog. dicit *Principes facere illud, quod possunt, quod jubentur, quod debent, quodque & Davidem & Salomonem & alios Principes fecisse scimus, ut ipsis (Sacerdotibus) aut dormientibus aut nefariè resistentibus, Sacerdotum libidinem coërceant, eosque ad officium faciendum adigant, & in officio contineant* c. 9. §. 2. Sic *Beza* cont. Erastum ait: *Magistratum habere potestatem puniendi observato bono ordine Doctores obstinatos, fideliter non exequentes officium, item falsos; & debere operam dare, ut alii secundum praxin Apostolicam sufficiantur in locum eorum.* Quem locum

Bezæ Cl. *Walæus* etiam laudat & probat p. 57. vide etiam *Pareum* in c. 13. Roman. p. 1098. item in Aphorism. Artic. 11. §. 19. *Bucanum* loco de Magistratu Q. 52. ubi ait, *Magistratus officium esse cogere quemlibet in suo ordine & statu Ecclesiastico sive Politico, ut officium faciant, & punire eos, qui contumaces inveniuntur. Sibbrandus* cont. *Grot.* p. 21. de Magistratu summo ait: *Defendit & tuetur ministros quàm diu suo munere rectè funguntur, eosdem severe coërcet, si vel verbum falsâ doctrinâ adulterant, aut sacramenta idololatricis ritibus contaminant, aut deniq; disciplinam in Tyrannidem aut conscientiarum carnificinam commutant. Hoc modo pii Imperatores Ecclesiam gubernârunt* &c. Similiter etiam p. 119. dicit: *Magistratus esse adducere & cogere ministros ad officium faciendum.* Idem docet Cl *Walæus* p. 57. 58, 129. 130. 144. 167. Et *Bogermannus* cont. *Grot.* p. 234. ex sua & *Junii* mente ait *Magistratus officium esse* *mini-*

ministros limites tabularum mandati divini excedentes aut aberrantes legitimè & secundum Deum in viam revocare & coërcere. Cl. *Rivetus* in Decalog. *Si non faciunt ministri ea, quæ ipsorum sunt, tunc Magistratus gravitate & imperio eos monet, & injungit ut fiant atque rectè fiant; vindicatque si secus* p. 265. a. ibidem dicit, *quod quemadmodum Magistratus pascuntur ministerio Pastorum, ita ipsi Magistratus pascant ministros imperio.* Et p. 262. *Constitutos dicimus esse Principes in iis, quæ ad Deum spectant, quia pœnis scitisque civilibus providere debet, ut suo Ecclesiæ ministri perfungantur in rebus divinis officio.* Et p. 267. ostendit quis sit modus ordinarius observandus à Magistratu in depositione ministrorum flagitiosorum, aut Hęreticorum, nimirum via Ecclesiastica, seu ut ipse loquitur, *vocatis & consultis, qui jus eligendi habuerunt. Rex autem,* inquit, *sive alius Magistratus, ut non ordinat, sic nec deponit formaliter, ut ita loquamur, vel admini-*

stratoriè per se ipsum: id tamen facit non solum consilio, sed MANDATO ET AUCTORITATE, *quia iis* MANDARE *potest, ubi subest justa causa de ministro exautorando, penes quos hæc potestas in Ecclesiâ viget: qui quidem in hoc casu, ubi nempe justa causa subest,* NISI PARENT ET QUOD JUBET FACIUNT, *obnoxii sunt non solùm iræ, sed etiam divino judicio.* Ubi per iram intelligitur pœna infligenda à Magistratu, ut Roman. c. 13. 9. ad quem locum Cl. vir respicit. Alioquin orthodoxi Theologi docent Magistratum extraordinariè etiam seu absque præcedaneo judicio Ecclesiæ in Pastores animadvertere posse, quando manifesta flagitia aut scelera commiserunt. Sic Cll. *Proff. Leydd.* Disput. de Magistratu th. 54. p. 819. *Si pastor sit seditiosus ac manifestus pacis publicæ violator, summus Magistratus eum interveniente subordinatorum procerum consilio potest eodem jure exautorare, quo Rex Salomon*
Abia-

Abiatharum deposuit. Et Cl. *Walæus* p. 178. *Quis unquam negavit propter notoria delicta, quæ simpliciter civilia sunt, speciatim ob proditionem contra summum Magistratum & bonum Reip. Pastorem posse neci dari, aut exilio mulctari, & consequenter etiam deponi suo ministerio à magistratu: Etiam absque præcedaneo judicio Ecclesiastico, quandoquidem omnia judicia Ecclesiastica in eo conveniunt. Hæc est sententia Hierarchiæ Antichristianę, non autem Ecclesiarum Reformatarum; quasi tales primò degradandi essent à suis spiritualibus, quos vocant, & postea tradendi Magistratibus secularibus, ut puniantur.* Et *Junius* ultra delicta capitalia illam potestatem extraordinariam extendit, quando Ecclesia ab officio suo deficit. Statuit enim *deficiente Ecclesiā ab officio posse Magistratum extra ordinem procurare, ut Ecclesia redeat ad officium: extraordinariis malis extraordinaria adhiberi remedia* &c. Quam sententiam *Junii* laudat *Bogermannus*,

cont. *Grot*. p. 193. & dicit pag. 92. *Hanc esse communem Ecclesiarum nostrarum sententiam.* Similiter etiam *Bucerus* lib 1. de regno Christi tribuit hanc potestatem extraordinariam Magistratui, *quando ministerium corruptum est*. Cujus verba laudat Cl. *Walæus* p. 148.

Confirmatur hæc propositio inter alia iis argumentis, quæ in modò laudatorum Theologorum quorundam verbis allegatis reperire est, qui etiam ad argumenta *Bellarmini* & sociorum ipsius respondent.

Ad Quæst. sextam.

Quamvis non sit aßentiendum sententiæ Bellarmini, cogitandum tamen, an sexta illa Antithesis tam absolute poni debeat. Nam an non subditus in iis omnibus, in quibus Magistratus potestatem habet in ipsum cum imperio conjunctam, & coactivam, Magistratui morem gerere debet, & ni fecerit, seditiosus habetur? An Magistratus Ierosolymitanus in Apostolos habebat potestatem cum imperio conjunctam & coactivam? An Apostoli igitur seditionis rei fuerunt, contra mandatum illius Magistratus

gistratus, annunciando Euangelium Iesu Christi? Nullâ ratione. An ergo discrimen non est statuendum inter causas religionis & politicas, sive merè civiles?

Resp.

Thesis illa quomodo intelligenda sit, ex immediatè subsequentibus verbis patet, quibus explicatur & limitatur: nimirum quod *Magistratus habeat potestatem non quidvis imperandi personis Ecclesiasticis & ni pareant eas puniendi*; sed quod habeat potestatem imperandi iis, *ut officium suum & quidem rectè atque secundùm præscriptum verbi divini faciant, &, nî faciant officium suum rectè, impigrè, vigilanter, eas puniendi.* Item quòd potestatem habeat Pastores cogendi, non ut à bonis actionibus, sed *ut à malis & scandalosis actionibus abstineant.* Atque huc faciunt omnia testimonia nostrorum Theologorum ibi à me allegata. Patet igitur me non attribuere ipsi potestatem absolutam, sed restringere eam & limitare ita, ut Magistratus non possit imperare ministris & eos cogere ut faciant quæ contra eorum officium sunt, sed quæ officium ipsorum postulat; non quæ ad destructionem Religionis, sed ad *conservandam incolumitatem Religio-*

nis

nis faciunt, ut Bullingerus loquitur à me citatus. Idem etiam patet ex Thesi X & hinc inde ex totâ Disputatione. Unde facile respondere est ad exemplum Magistratus Hierosolymitani. Is enim præcipiebat Apostolis illicita & impia, cujus jussio consequenter illi non tenebantur obedire, sed mandato Dei, qui contrarium ipsis præceperat Act. 4. 5. capp. Cui accedit quòd ego loquor per totam Disputationem, ut expressè protestatus sum in Proœmio, non de quovis Magistratu summo, sed de Orthodoxo, qualis certè Magistratus ille non erat; quemadmodum stultè quidam Pontificii sentiunt, qui existimant Ecclesiam illam, quæ Christum & Apostolos condemnavit, ac persecuta est, veram Ecclesiam fuisse. Atque hoc est illud ipsum discrimen, quòd inter potestatem Magistratus circa res Religionis & circa merè civiles in Consideratione rectè statuitur.

QUÆST. VII.

An Magistratus curam gerere debeat, ne ministri Ecclesiæ disciplina Ecclesiasticâ abutantur, & alicui injuriam faciant?

Bellarmi-

B*Ellarminum* negativam tueri per se ex præcedentibus manifestum est. Nam quia statuit ad Magistratum non pertinere cognitionem causarum ullarũ Ecclesiasticarum: certè patet eum etiam pati non posse ut Magistratus curam gerat conservandę disciplinæ Ecclesiasticæ in puritate suâ: & sic non permittere ulli, ut, si sentiat sibi per censuram Ecclesiasticam injuriam fieri, conqueri possit apud Magistratum, nec etiam Magistratui concedere, ut causę cognitionem suscipiat, & conquerenti prospiciat. Unde fluit, quod ex *Gelasii* Papæ epistolâ ad Faustum statuit *Bellarminus, non licere ulli mortalium* (adeoq; ne Principi quidem) *appellare à judicio Papæ* de Pontif. lib. 2. c. 21. Item, quod volunt acquiescendum censuræ Ecclesiasticę utut injustę, imò etiam contra Principem ipsum latæ, & non conquerendum aut judicandum esse de sententia injusta Episcopi: *Si fortè spiritus*, inquit, *indi-*

indiscretis laboribus mentis ut nimis orando vel meditando lædat corporis sanitatem, peccabit quidem spiritus, sed non ideo poterit caro in spiritum imperium sumere; sed gemendo & fatiscendo faciet, ut spiritus remittat aliquid de nimio fervore suo. Sic etiam si fortè Princeps spiritualis abutatur potestate suâ injustè excommunicando temporalem Principem, vel ejus subditos sine justâ causâ ab obedientiâ ejus absolvendo, & eo modo perturbet statum Reip. Temporalis: peccabit princeps spiritualis; sed non poterit tamen Princeps Temporalis judicium sibi sumere de spiritualibus rebus, aut spiritualem Principem judicare, & multò minus de sede suâ deponere cont. Barclajum c. 17. p. 922. (ubi observetur, quis spiritualis Princeps *Bellarmino* sit; nimirum non tantum Papa, sed etiam quivis Sacerdos. Nam ipsos etiam *Diaconos* ait *Principes & præsules esse, si comparentur ad plebem* lib. de Cleric. cap. 11.) Et c. 31. p. 961. contendit excommunicationi etiam inju-

injustæ acquiescendum esse à Magistratibus & subditis. Unde etiam Concilium *Tridentinum* statuit non licere Magistratui prospicere conquerentibus de injuriâ sibi facta per censuram Ecclesiasticam. *Nefas autem sit*, inquit, *seculari cuilibet Magistratui prohibere Ecclesiastico judici, ne quem excommunicet, aut mandare ut latam excommunicationem revocet sub prætextu, quod contenta in præsenti decreto non sint observata, cum non ad seculares sed ad Ecclesiasticos hæc cognitio pertineat.* Session. 25. cap. 3. Eam doctrinam etiam praxi confirmant Pontificii, ut notum est; & Pontifex Bullâ Cœnæ Domini horribiliter ratam esse jubet; cùm singulis annis die Jovis ante Paschatis festum excommunicationis fulmen vibrat contra Reges & Magistratus, qui ullam cognitionem causarum Ecclesiasticarum ausint suscipere. Et inquisitio Hispanica peculiariter hoc privilegio gaudet, quod *Eymericus*
Inqui-

Inquisitor mortuus anno millesimo trecentesimo nonagesimo tertio, postquam officio illo per 37. annos functus esset, his verbis exprimit: *Nemo potest liberare eos, qui ab inquisitione sunt apprehensi.* Hæc igitur Bellarm. & aliorum Pontificiorum sententia est. Nos è contrario affirmativam tuemur, & contra Bellarm. hanc propositionẽ formamus: *Quemadmodum Magistratus officium est operam dare, ut disciplina Ecclesiastica à Christo instituta conservetur: ita etiam ipsius est curare, ut illa legitimè à Pastoribus in consistoriis & aliis judiciis Ecclesiasticis exerceatur; efficere ne abusus circa eam committantur; impedire ne cuipiam injuria fiat in ejus administratione; & si quidem injuria alicui fiat aut facta sit à Pastoribus per exercitium seu potius abusum disciplinæ Ecclesiasticæ, sive in Consistorio sive in Synodo; licet ei apud Magistratum conqueri, ut Custodem ac vindicem externi ordinis in Ecclesiâ à Christo instituti: & tunc*

tenetur

teneretur Magistratus ex officio prospicere conquerenti. Ubi observetur, nos non dicere licere alicui, cui injuria facta est per abusum potestatis clavium, *provocare* ad Magistratum seu *appellare* ut ad judicem superiorem; sed tantùm conqueri apud eum, ut custodem & vindicem utriusque Tabulæ legis. Nam non potest propriè loquendo provocari ad Magistratum à *sententiâ potestatis clavium.* Etenim disciplina Ecclesiastica non exercetur à ministris nomine Magistratus, sed Christi, qui illius author est, & à quo immediatè potestas clavium est commissa Ecclesiæ.

Est autem hæc propositio omnium orthodoxorum Theologorum, qui hanc quæstionem tractarunt. P. Martyr. Loc. commun. class. IV. c. 13. §. 12. *Addendum prçterea est, non solùm quoad ista, quæ recensui, ministros Magistratui subjici, sed etiam, ut innui superius quoad functionem. Quia si non rectè doceant, nec ex ordine*

administrent sacramenta, Magistratus est eos in ordinem redigere ac videre, ne impurè doceant, neve fabulas admisceant, neve SACRAMENTIS ABUTANTUR *aut aliter ea tradant, quam Dominus jusserit.* *Piscator* explicatione Aphorismi de Magistratu ait, *Magistratus officium esse, ut operam det, quo legitimè exerceatur disciplina Ecclesiastica.* *Ivellus* in Antapolog. postquam dixisset sacerdotum officium inter alia consistere in excommunicando, absolvendo, addit *Magistratus officium in eo versari, ut ab Episcopis & fieri hæc curet & verò rectè ac fideliter fieri* c. 9. p. 488. *Sibbrandus* ait, *Magistratus esse, efficere ut pastores disciplinam Ecclesiasticam juxta Dei verbum stringant;* & addit: *Magistratus defendit & tuetur eos, quàm diu eo munere rectè funguntur; eosdem severè coërcet, si vel verbum falsâ Doctrinâ adulterant, aut sacramenta idololatricis ritibus contaminant, aut denique disciplinam in tyrannidem aut conscientiarum carnificinam*

nam commutant. Hoc modo prisci Imperatores Ecclesiam gubernarunt. cont. *Grot.* p. 121. Cl. *Rivetus* in Decal. p. 262. dicit, *etsi Magistratus non sit prædicare verbum, administrare sacramenta, Ecclesiasticam disciplinam exercere, tamen debere eum curare, ut isthæc fiant, sicut oportet ab iis, quos ad eadem Deus vocavit.* Omnium apertissimè *Beza* magnum illud lumen Ecclesiæ, & summus assertor consistoriorum contra *Thomam Erastum* Professorem Heidelbergensem scribit: *Cùm etiam à rectè constituto consistorio possit reis delatis injuria fieri; in angustioribus territoriis citra ullam ordinis Ecclesiastici violationem Christianus Magistratus, ut tabulę utriusque & Ecclesiasticę εὐταξίας custos & vindex prospicere potest conquerentibus.* Cll. *Proff. Leydenses* in eadem sunt sententiâ & approbant illam ingenuam confessionem Bezæ. Nam disputat. 48. th. 16. dicunt de disciplinâ Ecclesiastica: *Hanc spiritualem potestatem à Christiani Magi-*

stratus

gistratus inspectione tanquam utriusque tabulæ custode non eximimus. Et postquam dixissent, hanc potestatem per provocationem aut appellationem propriè dictam non posse ad Magistratus aut Principum tribunal deferri, addunt: *interim tamen non diffitemur verum esse, quod Beza adversum Erastum fatetur; cùm etiam à rectè constituto consistorio possit reis delatis injuria fieri; in angustioribus territoriis citra ullam* &c. & allegant omnia illa verba *Bezæ* modo à nobis citata. Item disputat. de Magistratu th. 47. *propriè jus est penes Pastores disciplinam Ecclesiasticam, unà cum suo presbyterio ex fidei & sacræ doctrinæ analogia decernendi: Magistratus verò penes quem est summa imperii potestas disciplinam illam aut præsens approbare, aut absens examinare potest, & si quid in eâ jure desideretur, à Pastoribus exigere, ut illud ex verbi Dei analogia addatur vel emendetur.* Cl. *Walæus* p. 48. etiam allegat & approbat sententiam ac verba *Bezæ*

modo

modo à nobis allegata. Et p. 23. *libenter* inquit, *fatemur summum Magistratum curam gerere debere, ne disciplina Ecclasiastica in abusum trahatur, quemadmodum in Papatu contigit:* & p. 43. *diximus superius & patebit etiam in sequentibus, satis ex verbo Dei; officium supremorum Magistratuum esse curam gerere totius cultus divini & consequenter quoque operam dare, ut hæc potestas spiritualis,* (censura Ecclesiastica) *non in abusum trahatur, quemadmodum notoriè in Papatu contigit.* Et. p. 44. ait inter cætera, in talibus casibus (quos ipse extraordinarios rectè vocat si cogitetur, quando alicui injuria fit per disciplinam Ecclesiasticam, id extra seu potius contra ordinem à Christo institutum fieri) *Magistratus tanquam nutricios Ecclesię posse cognitionem suscipere causarum & rationum excommunicationis, aut antequam ea sit instituta, aut postquam facta sit, nec posse eos, qui Ecclesiæ præsunt recusare iis redditionem rationis facti sui;* & confirmat id ex

1. Pet. 3. *Quod si superiores videant,* inquit, *actum esse contra ordinem; ipsorum officium est efficere, ut resumatur negotium in conventibus Ecclesiasticis, imò etiam impedire exequutionem; quemadmodum Constantinus & alii boni Imperatores interdum ita egerunt, qui effecerunt ut causę Athanasii & aliorum Orthodoxorum Doctorum, injustè condemnatorum à Concilio, resumerentur, & in integrum restituerentur per alias Synodos, vide Socrat.* lib. 2. *Quemadmodum etiam Principes Christiani post cognitionem causæ tuiti sunt (prout hodieque faciunt) primos reformatores Ecclesiæ Christi contra excommunicationem Papæ & Concilii Tridentini.* Et p. 37. ait. *in tali casu Magistratui competere tantum illam judicaturam, quam verbum Dei ipsi attribuit, ad impediendam talem punitionem spiritualem, si impertinens sit & verbo Dei repugnet* &c. & *Magistratus Christianus nunquam secundum ordinem aliud jus sibi attribuit.* Quod amplius est cum *Beza* territoriorum exigui

distri-

districtus tantùm mentionem fecerit; Cl. *Walæus* id extendit ad Magistratus supremos majorum etiam territoriorum ac regionum; item quod *Beza* dixerat de Consistoriis, ipse extendit ad conventus Ecclesiasticos etiam majores imò supremos, seu Synodos: *Eadem ratio*, inquit, *locum debet habere etiam respectu Magistratuum supremorum, qui majoribus territoriis & regionibus imperant, nec non respectu maximorum seu supremorum conventuum Ecclesiasticorum, qui in illis quoq; regionibus sunt. Nam etiamsi cognitio & judicium talium conventuum majorum minus suspectum esse debeat, quàm minorum congregationum; nihilominus tamen similes errores ab iis committi possunt, quemadmodum experientia Synodorũ & Conciliorum monstravit, quorum injustis actionibus possunt ac debent resistere supremi Magistratus ex obligatione officii sui. Idem vir Clarissimus* p. 141. citat pro suæ sententiæ declaratione Robertum Burhillum

Theologum Anglum & probat quod dicit cont. Becanum &c. c. 10. *Magistratum supremum non debere auctoritatem suam commodare vanis, intolerabilibus, noxiis decretis Ecclesiæ, & cogere quenquam ad iis obediendum: nec etiam debere permittere ut innocentia cujusquam opprimatur, si aliquis, penes quem Ecclesiasticæ censuræ sunt, convertat suā potestatem non ad ædificationem, sed ad destructionem.* Similiter *Sibbrandus Lubbertus* dicit à Synodi sententiâ ad supremum Magistratum *provocari* (ita enim loquitur) posse: Si *tamen*, inquit, p. 151. *quod est humanum in judicando erraverunt Patres in Synodi congregatione, video tres vias quas in hoc casu sequi possumus. Una est provocatio à Synodo ad summum Magistratum. Hanc tenuit* (ait quidem Sibbrandus) *Apostolus* Act. 25. 6. *Ad tribunal Cæsaris sto, ibi me oportet judicari. Altera est, ut læsus petat à supremo Magistratu, ut omnia ad tempus eo loco relinquere velit, quo ante latam sententiam erant. Hanc*

tenuit

tenuit Leo Epist. 35. &c. Tertia est, ut quis injuriam sibi factam patienter ferat. Ubi quicquid sit de exemplo Pauli (ex quo non posse inferri appellationem propriè sic dictam ad Magistratum à Censurâ Ecclesiasticâ inter alia monet Cl. *Walæus* p. 46. 47.) constat *Sibbrandum* cum præcedentib. Theologis omnibus in re consentire. Professus autem erat p. 12. *se sincerè Ecclesiarum Reformatarum sententiam explicaturum.* Theologis Reformatis calculum suum addit Sapientissimus *Rex Jacobus M. Britan.* cujus verba ex scripto ipsius ultimo contra Cardinalem Perronium Cl. *Walæus* hæc laudat p. 153. quibus Rex dicit Imperatores pios *cognitionem decretorum & canonum Conciliorum ac disciplinæ Ecclesiasticæ suscipere solitos fuisse* &c. *ut viderent an in consultationibus Episcoporum* (*qui æquè*, inquit, *obnoxii sunt ambitioni atque alii homines*) *nihil esset contra fidelitatem Imperatori debitam, nec contra Reip.*

tranquillitatem, nec contra Decreta Conciliorum præcedentium. Cæterū quemadmodum in omnibus aliis negotiis Ecclesiasticis, ita etiam in hoc nihil iniquè, temerè, leviter, malitiosè, imprudenter à quoquam est agendum, prout rectè etiam monet Cl. *Walæus* p. 44. ne fraus fiat ordini à Christo instituto, & disciplinæ Ecclesiasticæ sub prętextu injuriæ accceptę illudatur. Quod qua ratione caveri & quomodo in eum finem Magistratus prospicere secundum doctrinam verbi divini receptam in Ecclesiis Reformatis debeat conquerentibus, jam exponere possemus. Sed hæ paucę pagellæ id non patiuntur.

Confirmationem hujus propositionis quod attinet; nobis argumenta non pauca ex verbo Dei & praxi Ecclesiæ veteris suppetunt: Sed inpræsentiarum ob instituti nostri brevitatem sufficiet argumentum *Bezæ* & Cll. *Proff. Leydens.* quod in eo consistit

consistit, *quòd Magistratus sit custos & vindex utriusque tabulæ & εὐταξίας Ecclesiasticæ.* Accedat exemplum commendatum à Spiritu Sancto, Principum scilicet Judæ, qui *Jeremiam* è manibus & violentiâ Sacerdotum eripuerunt Jerem. 26. 16. &c. quod est argumentum Cl. *Walæi* p. 46. Denique si impunè liceret ministris abuti disciplinâ Ecclesiasticâ, ita ut non coërcerentur à Magistratu; certè nec Magistratus ipse, nec alius honestus vir tutus esse posset & securus officiorum & honorum suorum; maximè si velint imitari praxin Papatus, in quo privatio jurisdictionis & officiorum eorum etiam, quæ non pendent ab Electione Ecclesię, pari passu ambulant. Confirmat hoc argumentum praxis ejusdem papatus. Si quis dicat non esse metuendum, ne orthodoxi pastores alicui injuriam faciant: is meminerit *Bezam* & alios Theologos, quos modo laudavimus fateri, alicui injuriam etiam à legiti-

mè constituto consistorio fieri posse. Meminerit etiam, ut *Pareus* rectè observat Rom. 13. p. 1088. nō discipulorum Christi, sed *Iudæorum vocem esse: Nisi hic maleficus esset, nō tibi tradidissemus eum.* Nec puto quenquam Reformatum Theologum, hoc bonâ conscientiâ dicere posse: cum nec ipse Pontifex Romanus, qui tamen sibi infallibilitatem in judicio de rebus fidei tribuit, adeo impudens sit, ut audeat dicere se in quæstionibus facti errare non posse.

Nec potest objicere aliquis: *sic violari disciplinam Ecclesiasticam*; Nam ut modo vidimus, *Beza*. Cll. *Proff. Leydd.* Cl. *Walæus* dicunt *id fieri citra ullam violationem ordinis Ecclesiastici.* At censura Ecclesiastica, inquiet aliquis, à Christo est instituta immediatè Matth. 16. & 18 Respondeo cum Hieronymo in Matth. 16. *Istum locum Episcopi & Presbyteri non intelligentes. aliquid sibi de Pharisæorum assumunt supercilio, ut vel damnent innocentes;*

tes; vel solvere se noxios arbitrentur, cùm apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. Quem locum citat *Sibbrandus* p. 152. & tanquam *scitè* dictum ab Hieronymo laudat, postquam pręmisisset: *Si judicium est de personâ ut vel aliquē ligent, vel ligatum solvant, sciendum est Ecclesiæ judicium habere momentum, si cum veritate congruit, neque esse pertimescendum, si ab illa discrepet.* Ita *Sibbrandus*. Ratio est: quia tantum usus disciplinæ non autem abusus à Christo est institutus, de quo hic quęstio est. Deinde ita arguere est nihil aliud quam Magistratum à gubernatione & curâ rerum Ecclesiasticarum planè velle excludere, & dicere eas ad illum non pertinere aliter, quàm ut defensor & exequutor Ecclesię sit. Nam prædicatio verbi & administratio Sacramentorum etiam est immediate à Christo instituta. Si igitur non licet Magistratui curam gerere, ut disciplina Ecclesiastica rectè & non malè

exerceatur; ideò quod immediatè à Christo sit; certè nec licebit Magistratui curam gerere, & imperare ministris ut officio rectè fungantur circa prædicationem verbi & administrationem Sacramentorum, nec eos coërcere, quando officium suum non faciunt, aut non rectè faciunt. Denique ex inde aliud nihil sequitur, quàm Magistratum ipsum non posse exercere disciplinam Ecclesiasticam, seu ligare & solvere, retinere vel dimittere peccata: item ad eum non posse institui appellationem propriè sic dictam à potestate clavium: non autem sequitur ad Magistratum non pertinere curam & directionem ordinis externi circa eam, ut ea rectè & sine abusu exerceatur.

Nec etiam potest objici: per hanc doctrinam enervari aut everti auctoritatem consistoriorum Nam si id locum habet, certè Magistratui abstinendum erit etiam à cæteris partibus officii sui circa res Ecclesiæ,

quò

quò ita auctoritas Ecclesiasticorum non evertatur. Et verò auctoritas Episcoporum & ministrorum Ecclesiæ non in eo consistit, ut impunè nocere possint & contra officium suum prævaricari vel in disciplinâ Ecclesiasticâ, vel in aliis actionibus sacris: sed potius malè agendo ipsi evertunt, prostituunt ac perdunt auctoritatem suam, ac res suas; ut testatur experientia Papatus. Tertiò tantum abest, ut hac doctrina labefactetur authoritas Pastorum, ut potius reverâ stabiliatur.

Nam primo videntes hac ratione se Magistratum habere, qui de jure divino inspector & judex sit actionum suarum, etiam in hac parte prudenter agent & cavebunt sibi ne cuiquam injuriam faciant, prætextu disciplinæ Ecclesiasticæ. Dubium autem non est, quin auctoritas ministerii integra maneat quando pastores officio suo rectè funguntur. Quemadmodum è contrario contemptum

sibi attrahunt, quando secus faciunt. Quâ de re incomparabilis servus Dei *Calvinus* in aureo tractatu de Scandalis graviter conqueritur p. 92. Sed *aliud est*, inquit, *Ecclesię ulcus magis deplorandum, quòd Pastores, ipsi, inquam Pastores, qui suggestum, h.e. sacrum Christi tribunal eâ lege conscendunt, ut vitæ puritate præ aliis omnibus excellant; interdum sunt turpissima vel nequitiæ, vel malorum aliorum exempla. Ita fit ut nihilo plus fidei ac gravitatis obtineant eorum conciones, quàm si fabulam in scenâ ageret histrio. Et tales scilicet contemtui se esse apud plebem, aut etiam ludibrii causâ digito se monstrari conqueruntur. Ego autem potiùs vulgi miror patientiam, quòd non eos luto & stercoribus mulieres & pueri operiunt. Ministerii dignitatem extollunt plenis buccis; at illis non venit in mentem non haberi suum ministerio honorem, quia ipsum suâ turpitudine conspurcant. Nam sicuti verè olim à quodam dictum est: ut ameris amabilis esto; ita morum gravitate & sanctimoniâ*

moniâ reverentiam sibi acquirant oportet, qui in precio haberi volunt. Atque utinam tali hominum colluvie exonerari purgarique posset Ecclesia &c. Ita Calvinus, qui inter alia scandala, quæ impediunt cursum veræ Religionis; hoc vel maximum esse contendit.

Deinde etiam aliâ ratione stabilitur auctoritas ministrorum per hanc doctrinam. Nam ad quam potestatem pertinet cura defendendi eos, quibus injuria facta est per abusum disciplinæ Ecclesiasticę; monendi ministros, ut ab injuriâ desistant, ac si nolint, utendi potestate suâ coercitivâ adversum ipsos: ad eandem potestatem pertinet etiam cura defendendi disciplinæ Ecclesiasticæ verum & legitimum usum. Quare si quis malitiosè & superbè se opponat disciplinæ Ecclesiasticę justè & sine abusu exercitæ; & adeò temerarius sit, ut apud Magistratum conqueri audeat; Magistratus est re benè cognitâ mandare ipsi, ut pareat consi-

storio, & hortari ministros ut pergant procedere contra eum. Si necdum parere velit, Magistratus est pro exigentia rei, & qualitate delicti etiam civili animadversione vindicare non solùm violationem ordinis à Christo instituti, sed etiam inobedientiam, quâ adversus Magistratus mandatum usus est.

Ad Quæst. septimam.

Etiamsi is cui notoria ab Ecclesiastico judicio fit injuria, vel qui ab illo tyrannidem patitur, implorare possit Magistratus opem, cujus est quemlibet à quâlibet injuriâ vindicare, considerandum tamen, an ad quaestionem illam, sine limitatione & explicatione, affirmativè responderi debeat. Hoc enim si fiat, jam statuendum erit Magistratum debere adsidere omnibus conventibus Ecclesiasticis, *ibique observare num ministri Ecclesiæ disciplinâ Ecclesiasticâ ritè utantur, quemadmodum vel Domini famulis, vel parentes liberis suis adsident, ut eorum facta observent. Vbinam hoc docet verbum Dei, aut permittit praxis Ecclesiæ?*

Alia est ratio conciliorum, in quibus causa religionis, & doctrina publica tractatur, quam Magistratus tueri debet & conservare, & quæ, vel

vel tranquillitatem, vel commotionem Reip. secum trahit: alia verò privatorum consistoriorum, in quibus causæ & delicta privata tractãtur, ad singulorum conscientias instruendas.

Resp.

Explicavi illam Quęstionem, quantum quidem brevitas permittebat & ratio instituti postulabat. Quò inter alia facit, quod (ut cætera quæ ad illius theseos explicationem protuli omittam) dixi *in hoc negotio nihil iniquè, temerè, leviter, malitiosè, à quoquam* (& sic nec à Magistratu) *esse faciendum, ne fraus fiat ordini à Christo instituto, & disciplina Ecclesiastica illudatur &c.* Nec ex mea thesi id quod in consideratione ponitur, sequitur magis, quàm ex thesi eadem sine ulteriore declaratione à Cl. Proff. Leyd. in Synopsi, & à ceteris Theologis omnibus à me ibi adductis id sequitur. Nam non est necessum, ut ob eam causam Magistratus conventibus omnibus Ecclesiasticis adsideat. Ratio est: *potest enim disciplinam Ecclesiasticam etiam absens examinare, & si quid in eâ jure desideretur, à Pastoribus exigere, ut illud ex verbi Dei analogiâ addatur vel emendetur*, ut loquuntur DD. Proff de hac re verbis à me citatis, quorum ipsorum verborum allegatio sufficere debebat ad explicationem,

&

& ad solutionem objectionis & Quæstionis illius. Adeoq; si injuria palpabilis & planè notoria alicui illata sit, ut in Quęstionibus facti item vitæ & morum evidentior esse res solet, quàm in Quæstionibus fidei, Magistratus immediatè potest prospicere conquerenti, ut factum à Principibus Iudæ; si autem injuria non sit adeò notoria, ut in Quæstionibus fidei contingere solet; debet Maigstratus operam dare, ut à majore conventu Ecclesiastico seu Synodo legitimâ res decidatur, prout in vetere Ecclesiâ secundum verbum Dei pii imperatores fecere, & Reformati Doctores semper contra Excommunicationem Papalem contenderũt ac petierunt. Hæc omnia perspicuè & solidè pluribus deducere & ostendere possem. Cęterùm an Magistratui liceat adsidere Consistorio, videatur Synod. Dord. Constit. Eccles. art. 37. & D. D. Proff. Leydd. loco citato.

QUÆST. VIII.

An Magistratus habeat potestatem leges ferendi Ecclesiasticas?

B*Ellarminus* negat, & Magistratui tantum tribuit potestatem leges ferendi

ferendi civiles, solis autem Ecclesiasticis tribuit potestatem leges ferendi Ecclesiasticas. *Sicut*, inquit, inter alia, *Reges possunt condere leges civiles; ita Pontifex seu Episcopus potest condere leges Ecclesiasticas* lib. 4. de Pontif. c. 15. p. 857. vide & c. 16. 17. 18. 19. 20. 21. Nos affirmamus & contra Bellarminum hanc propositionem formamus: *Magistratus habet potestatem leges ferendi Ecclesiasticas verbo Dei non repugnantes, tam circa personas, quam circa res Ecclesiasticas.* Hæc propositio etiam est doctrina Ecclesiæ Reformatæ. Vide inter alios *P. Martyrem* in 1. Sam. 14. *Wittackerum* cont. IV. Q. 7. *Junium* controvers. III. lib. 4. & controv. V. lib. 3. *Pareum* Comment. Rom. Dub. 5. Cll. *Proff Leydd.* Cens. Confess. Remonstr. c. 25. §. 34. Eosdem in Synopsi Disput. de Magistratu th. 46. ubi dicunt *Magistratum circa res Ecclesiasticas suo quoque imperio præscribere nonnulla posse:* loquuntur autem de rebus

rebus de quibus præceptum ſpeciale divinum nullum eſt, nimirum de ritibus in ſe indifferentibus, ſeu iis, quæ ad externum Eccleſię ordinem pertinent Cl. *Rivetum* in decal; p. 267. 168. *Alſted.* in Supplem. *Chamierii*, *Ameſium* Medull. lib. 2. c. 17. Vbi obſervandum 1. ne ferat leges circa ceremonias, quę cum periculo Idololatriæ ſint conjunctæ, item ne multitudine rituum talium obruat Eccleſiam Chriſtianam, ut in Papatu factum. Deinde tenendum; Magiſtratum leges Eccleſiaſticas ferre poſſe, non tantùm ut miniſtrum Dei, ſed etiam reſpectu hominum cum imperio proprio ac poteſtate coactivâ temporali; nec pendere eum in illis ferendis à poteſtate aliquâ humanâ ſuperiore; conſequenter etiam non opus habere confirmatione alienâ (quamvis conſilium prudentiū, piorum & peritorum Doctorum Eccleſię rectè adhibeat) & denique obligari conſcientias illis legibus etiam

iam extra casum scandali & contemptus ob mandatum generale Dei de obedientiâ debita Magistratui Rom. 13. & alibi. Ex quibus per se sequitur eas esse propriè sic dictas leges, quæ in Ecclesiasticis à Magistratu feruntur. Denique observandum est quod Cl. *Rivetus* monet, circa leges quæ ipsos Ecclesiasticos spectant: Hæ, inquit, *ita à Principibus pendent, ut sæpe etiam* INVITIS *ipsis ministris Ecclesiæ obtrudantur; quæ si iniquę sint & onerosę, conscientiam tamen non lædunt, obligant nihilominus: si justæ & necessariæ, iis etiam est obtemperandum, etiamsi aliquam notam inurant, sed quam mali mores, quibus obviam eundum fuit, attraxerint*: p. 268. Et exempli loco affert illam legem, *cujus Hieronymus alicubi meminit, quâ Christiani Imperatores caverunt, ne Testamenta captarent Ecclesiastici; ubi dicit se de lege non conqueri tanquam injustâ, sed de eo tantum, quod eam suis factis meruissent.* Hæc & similes leges quin latæ fuerint

rint invitis & dolentibus Ecclesiasticis dubium non est vel ex iis verbis *Hieronymi*; Nam mali dolent ob cohibitam malitiam; boni ob scandalum datum & ob notam aspersam ministerio per malas aliorum actiones. Quas quidem in causa fuisse tot legum ab Impp. latarum circa personas Ecclesiasticas, rectè observat *Paræus* Comment. Rom. c. 13. p. 1097 ex Novell. 137. ubi Imperator præfatur se cogi ad leges ferendas de Ordinatione Episcoporum & Clericorum per varias querimonias, quę ad se deferrentur contra eos, ut *qui secundum canones divinos minimè viverent, adeo ut etiam flagitiosè rudes essent.*

Confirmationem hujus propositionis & responsionis ad Argumenta *Bellarm.* vide apud citatos Theologos.

Ad Quæst. octavam.

An Magistratus potestatem illam exercere potest, etiam inconsultâ & invitâ Ecclesiâ, & quidem

quidem orthodoxâ & bene ordinatâ? Si non: An non ergo thesis illa periculosè asseritur? An Magistratus potestatem illam leges ferendi habet, ut Dominus Ecclesiæ in Ecclesiâ existens, uti in Repub. suâ potestatem habet ut supremus in terris Dominus? Item, An nullæ hîc sunt partes ministrorum & inspectorum Ecclesiæ? Dices: Sequitur in thesi nonâ. Sed an non æque explicandum, Vtrum Magistratus potestate illâ architectonicâ, quâ in Repub: leges fert, etiam ferre eas potest in Ecclesiâ, an secus? Et quo pacto Magistratus suâ illâ potestate uti debeat, ut illi Ecclesiæ potestati & ministrorum ejus damnum non inferat?

Resp.

Quinque hîc quæruntur, ad quæ uno verbo præter ea, quæ ante in genere dicta sunt, respondere possem: In quæstione meâ quæri de jure, quod sufficit contra thesin Bellarmini, in Considerationibus autem agi ferè de exercitio juris, seu modo exercendi illam potestatem. Tamen breviter ad singula respondebo. *primo* quæritur: *An Magistratus potestatem leges ferendi exercere possit etiam inconsultâ & invita Ecclesiâ, & quidem Orthodoxa & benè ordinata? Si non; An non Ergò thesis illa periculosè asseritur?* Respondeo: 1. Periculosa

losa igitur est doctrina Ecclesiarum Reformatarum; & periculosè asseritur illa thesis ab omnibus Theologis Reformatis illis, quos ego citavi, adeoque nominatim à DD. Proff. Leydd. Nemo enim ex illis limitationem eam expressit. 2. In Resp. ad Q. illam dixi, *Magistratum rectè adhibere in eâ re consilium prudentum piorum & peritorum Doctorum Ecclesiæ.* Et sic etiam non impedio quo minus adhibeat in consilium totam Ecclesiam seu Consistorium; imò laudo illud & probo; modò non existimetur eum in illâ re pendere ab Ecclesiâ ut potestate superiore, hoc enim repugnat doctrinę Ecclesiarum Reformatarum, imò verbo Dei, ut facilè ostendere possem: Maximè autem ubi consuetudo aut constitutio Ecclesiastica alicujus regni, provinciæ, civitatis illud postulat, non repugno; quemadmodum expressè protestatus sum in Conclusione me nullius loci consuetudinibus aut Constitutionibus Ecclesiasticis quicquam derogare velle. 3. Ecclesia Orthodoxa & benè ordinata vel officium suum facit secundùm ordinem sibi à Deo prescriptum, vel non. Si officium facit, nunquam eâ invitâ legem feret Ecclesiasticam pius Magistratus atque observans

vans

vans conditiones, quas partim in thesi, partim in Exegesi illius & alibi expressi. Nam ex unâ parte semper studere debet concordiæ cum Ecclesiâ; ex alterâ parte ipsa Ecclesia novit officii sui partem esse obedire Magistratui Rom. 13. 1. Tit. 3. 11. 1. Pet. 2. 13. Si autem Ecclesiastici non faciunt officium, Magistratus eos cogere, adeoque vel invitos compellere debet ad officium secundùm verbum Dei faciendum; ad quam potestatem coactivam νομοθετικὴ etiã pertinet. Hinc dixi, *aliquando invitis Pastoribus* M A L E *docentibus aut viventibus leges à Magistratu ferri posse, quibus coërceantur.* Sed aliud est dicere invitis Pastoribus malè agentibus aut docentibus, adeòque invitâ parte Ecclesiæ leges ferre; aliud est, eas invitâ totâ Ecclesiâ ferre; quod quidem non fit, quando mali Pastores coercentur. Nam Ecclesia reliqua aut saltem sanior pars potius optat coerceri tales, quàm ut se opponat Magistratui eos legibus justis coërcenti.

Secundò quæritur: *An Magistratus habeat potestatem illam ut Dominus Ecclesiæ?* Respondeo: habet illam potestatem, ut custos utriusque tabulæ legis gladio corporali armatus, & sic ut director ordinis

externi

externi in Ecclesiâ, *qui habet potestatem νομοθετικὴν secundùm verbum Dei circa omne bonum subditorum suorum, adeoque etiam circa bonum spirituale*, ut Pareus rectè loquitur in Com. Rom. c. 13. p. 1085.

Tertiò Quæritur: *An nullæ hîc sint partes ministrorum & inspectorum Ecclesiæ?* Respondeo 1. ipsorum est consulere Magistratui in talibus, ut in Exegesi ibidem dixi. 2. ipsi etiam possunt leges seu constitutiones Ecclesiasticas ferre, ut doceo Q. 9.

Q*uartò* quæritur: *An Magistratus potestate architectonicâ leges possit ferre in Ecclesiâ?* Respondeo cum DD. Proff. Leyd. in Censurâ Confessionis Remonstr. c. 25. §. 3. 4. p. 330. 331. *Christus ministris utitur ad regiminis sui administrationem; Ecclesiæ & ministerio ejus in rebus indifferentibus tribuens quandam dispositionem seu dispensationem: Magistratui verò secundùm sublimem ejus vocationem, ut utriusque tabulæ custodi divini cultus, omnisque publici ordinis tutori hæc eadem potestas convenit, sed suo modo; nempe Politicè, dum pro αὐτοκρατορικῇ & ἀρχιτεκτονικῇ sua potestate pietatem & ordinem Ecclesiæ legibus sancit ad vigorem publicæ observantiæ. Quo neque Ecclesiæ suam, neque Magistratui suam potestatem detrahimus, sed*

utrique

trique quod suum est tribuimus, & amicè in uno Christi opere conjungimus.

Vnde etiam facilè ad *Quintam* Quæstionem responderi potest; nimirum: *Quo pacto Magistratus suâ illa potestate uti debeat, ut ille Ecclesiæ potestati & ministrorum ejus damnum non inferant?* Responsionem suppeditant primò ea, quæ modò ex D. D. Proff. Leydd. verbis protuli. Magistratus enim semper cogitare debet, sibi non licere ullo modo infringere libertatem & potestatem, quam Christus Ecclesiæ suæ etiam in hac parte dedit: Sed amicè in uno opere & quantum omnino fieri potest conjunctis consiliis conspirare cum eâ debet. Adeoque ubi Ecclesia legem vult ferre verbo Dei non repugnantem, sed utiliter, piè, prudenter aut necessariò, pro temporis aut aliarum circumstantiarum ratione conceptam, debet eam suâ auctoritate confirmare. Deinde meminisse semper debet regulæ generalis à me propositæ Q. VII. *in omnibus negociis Ecclesiasticis nihil iniquè, temere, leviter, malitiosè, imprudenter à se agendum esse.*

QUÆST. IX.

An Ecclesiastici habeant potestatem leges propriè sic dictas ferendi?

BEllarminus affirmat locis citatis quęstione præcedente & contendit inter alia leges Ecclesiasticorum non opus habere confirmatione aut etiam consensu Magistratus, sed *ipsos Episcopos in suis diœcesibus & Romanum Pontificem in totâ Ecclesiâ esse veros Principes Ecclesiasticos, qui possunt suâ authoritate etiam sine consensu aliorum leges ferre, quæ in conscientiâ obligent etiam extra casum scandali & contemptus, & sic eos habere veram potestatem in omnes fideles in spiritualibus, ut habent reges in temporalibus* &c. Nos negamus & contra Bellarm. hanc propositionem formamus: *Ecclesiastici non habent potestatem leges condendi propriè sic dictas, sed tantum* διατάξεις *seu ordinationes & constitutiones, quæ non obligant conscientias extra casum scandali seu contemptus, atq; ut vim legum accipiant,* opus

opus habent auctoritate & confirmatione Magistratus, quae ubi accessit, obligant respectu non ministrorum, sed Magistratus etiam extra casum scandali sive contemptus. Haec etiam est doctrina Ecclesiarum Reformatarum speciatim *Calvini* lib. IV. Instit. c. 10. 11. 12. *F. Junii* lib. 4. de Pontif. capp. 15. 16. &c. *Wittackeri* controvers. IV. Q. 7. *P. Martyris*, qui in 1. Sam. 14. rectè dicit, leges *Politicas Principum multò plus obligare, quam Ecclesiasticae Episcoporum constitutiones obligant. Vrsini* in Catech. explicat. Q. 56. *Sibbrandi* cont. Grot. p. 151. 152. *Bogermanni* contra eundem p. 19. 193. *DD. Proff. Leyd.* Synops. Disput. 50. th. 46. Cl. *Walaei* p. 126. Cl. *Riveti* Decal. p. 267. *Amesii* in Bellarm. Enervato ad Q. illam. Probatur haec propositio. I. Quia *ministri Ecclesiae nihil nisi alieno, hoc est, Christi imperio praescribunt. Gubernatio enim Ecclesiastica est omnino ὑπηρετικὴ seu ministerialis;* sunt verba

DD. *Proff. Leyd.* loc. cit. th. 46. Et sunt in se considerati mandatarii meri, qui proprii nihil habent, quod est argumentum *Amesii*. Et ut *F. Junius* loquitur de hac re lib. 4. c. 16. *Potestas Ecclesiastica est ministerii potius, quàm potestatis, nec citra rationem decori & honestatis quicquam in Ecclesiâ potest.* Item ibid. *Ecclesiastica potestas est ministerium non potestas αὐτοκρατορικὴ ut Magistratus.* II. Quia consequenter etiam ministris non competit potestas coactiva externa. Vnde non possunt judicium ferre, quando quęstio est de incarceratione, exilio, mulctâ pecuniariâ aut ullâ pœna corporali. Vide P. Martyrem Loc. communib. Cl. IV. c, 13. §. 9. & Cl. *Walæum* p. 53. 54. 55. ubi hanc doctrinam contra Concil. Trident. Sess. 25. 3. & contra praxin Episcoporum in Papatu defendit ex verbo Dei, atque inter alia ait p. 54. *Ministros ne quidem acceptare debere hanc potestatem à Magistratu, si vel ma-*

gumen-

ximè ipsis deferretur ab illis. Plura argumenta ut & solutionem objectionum *Bellarm.* vide apud citatos Theologos, maximè *Junium & Wittakerum*.

QUÆST. X.

An ullus homo in terris habeat potestatem absolutam in rebus Ecclesiasticis?

BEllarm. affirmat, & quidem eum hominem Papam esse contendit, cui summam & absolutam potestatem ac Monarchiam spiritualem in Ecclesiâ & rebus Ecclesiasticis tribuit, tum quoad directionem ordinis externi, tum quoad dogmata fidei, ac præcepta morum. Vide lib. 1. & 2. de Pontif. Rom. lib 3. de verbo Dei cap. 3. 4. 5. &c. Item de Pontif. lib. 4. c. 1. 3. 5. 2. 22. 23. 15. 16. lib. 3. c. 5. Nos negamus & asserimus contra eum: *Nullus homo quicunque tandem ille sit, sive Episcopus sive Magistratus, potestatem in rebus Ecclesiasticis absolutam habet; ita ut*

pro arbitrio quidlibet statuere, vel decernere possit aut debeat circa Religionem & res Ecclesiasticas; sed perpetuo meminisse debet se Dei ministrum esse, adeoque ad ejus jussa ac voluntatem in verbo Dei contentam se in omnibus componere, & contra eam nihil decernere aut facere. Hæc propositio etiam est totius Ecclesię Reformatæ. Vide illius confirmationem, & confutationem doctrinæ Pontificię, speciatim apud eos Theologos, qui contra Bellarm. scripsêre. Hîc operæ pretium esset ostendere quomodo quidam Orthodoxi Theologi, qui tamen inter se nequaquam pugnant, potestatem Magistratus circa res Ecclesiasticas vocent architectonicam, quo sensu rursus alii id negent. Item quo sensu quidam dicant pręcipuam curam Religionis penes Magistratum esse: alii penes ministros: sed de hac re fortè in ipsa disputatione dabitur dicendi locus. Nobis hîc ad finem est properandum. Tantùm addemus ex hac

hac propositione facile patere; nos non in locum unius Papæ Romani tot numero constituere, quot summi Magistratus sunt.

QUÆST. XI.

An Magistratus in rebus Ecclesiasticis subjectus sit ministris Ecclesiæ?

BEllarm. affirmat. lib. 1. de Pontif, c. 7. lib. 5. c. 7. De Cleric. lib. 1. c. 28. Item in tract. de officio Principis Christiani lib. 1. c. 5. Nos contra eum hanc propositionem formamus: *Magistratus summus in rebus Ecclesiasticis, ministris subjectus seu subditus sensu Pontificio nequaquam est, & non nisi falsò ab illis dicitur: ab orthodoxis autem quibusdam tantum Catachrestice seu abusivè Magistratus ministris Ecclesiæ subditus esse dicitur.* Hæc propositio bimembris est. Pars prior est: *Magistratum in rebus Ecclesiasticis sensu Pontificio falsò dici subjectum seu subditum esse Pastoribus.* Hæc est doctrina

omnium Theologorum Reformatorum. Et patet veritas illius exinde: Quia Pontificii Doctores ita subditum faciunt Magistratum Ecclesiæ & ministris illius, ut ei omnem jurisdictionem Ecclesiasticam, omnem potestatem in rebus fidei ac Religionis eripiant; atque ex eo mancipium pastorum, imò carnificem faciunt, qui teneatur gladium stringere ad nutum sacerdotis: quod certè improbè & contra verbum Dei fit. Alterum membrum est: *quòd quando orthodoxi quidam dicunt Magistratum esse subditum ministris in rebus Ecclesiasticis; id accipiendum sit non proprie, sed improprie, non per se, sed per accidens; adeoque catachresticè, nimirum respectu Christi & verbi illius, cujus illi sunt ministri, præcones & nuncii.* Hanc esse doctrinam & mentem orthodoxorũ Theologorum patet ex ipsorum declaratione, quâ phrasin illam explicant. Ita enim omnes declarant, speciatim *Fr. Iunius* lib. 5. de Pontif. c. 7.

P. Mar-

P. Martyr loc. Commun. Cl 4. c. 13. §. 10. *Pareus* comment. Rom. 13. p. 1081. Cl. *Rivetus* in Decal. p. 258. &c. qui hanc questionem solidè & ex professo decîdit; & inter alia ait: *Talis est parendi ratio, quâ senatui Ecclesiastico Magistratus paret. Non enim hoc facit obedientia civili, quæ collegium Ecclesiasticum respiciat: sed obedientiâ religiosâ, quæ Deum respicit; ut qui apparitori à Senatu misso parebat, Senatui propriè parebat, non apparitori: vel etiam judicio rationis, quia judicat unicuique in suâ arte perito credendum esse, & rationibus ducitur, quibus id utile esse ipsi persuadeatur, ita tamen, ut si in talibus non pareat (quod ei liberum manet) non habeat, quod pœnam temporalem metuat, qui non est subjectus ratione talis pœnæ, & subjicere se debeat rationi & veritati.* Hinc etiam orthodoxi Theologi interdum expresse negant Magistratum subjectum esse Ecclesię. Ut *F. Junius* lib. 5. de Pontif. c. 7. n. 3. Ubi negat quod Bellarm. dixerat, Tempora-

poralem potestatem subjectam esse spirituali: *si enim dicamus, ut subordinatæ sunt facultates, ita & fines communiter: Ergo potestas civilis subordinata est spirituali communiter, nempe prout Dei potestas cum legatione servorum ejus conjuncta est: hæc sententia verissima est. Sed si dixeris ergo subordinata atque subjecta est spirituali ministrorum potestati, negatur argumentatio.* Et cap. 6. n. 2. *dispar omnino ratio est politicæ potestatis & Ecclesiasticæ; illa absoluta & principalis est; hæc limitata & ministratoria solum. Rex enim Deo subjectus est, quia nulla est potestas nisi a Deo; at non subjectus præconi illius est, etsi præconem propter mittentem audit.*

Confirmatur autem hoc membrum inter alia. 1. Ex eo, quia obedientia, quæ debetur ministerio, non terminatur ad ipsos ministros, sed ad Christum, cujus præcones illi sunt. 2. Quia nullus etiam minimus fidelis per se & proprie loquendo subditus est ministris in rebus Ecclesiasticis.

Ergo

Ergo multò minus Magistratus, cujus officium etiam in illis rebus in imperio consistit. Antecedens patet ex eo, quod propriè subditum seu subjectum esse correlatum est illius, qui Dominus est sive imperium habet. Atqui ministri nullum imperium habent teste Christo Matth. 20. 25. 26. 27. 28. Marc. 10. 42. 43. 44. 45. Luc. 22. 25. 26. 27. & Petro 1. Epist. c. 5. 3. Sed tota eorum officii ratio ministerialis est, ut scriptura testatur, non solùm respectu Christi 1. Cor. 3. 5. c. 4. 1. 2. Cor. 1. 34. c. 4. 1. sed etiam Ecclesiæ. v. 5. ut adeò rectè Cl. *Rivetus* de potestate Magistratus circa res Ecclesiasticas loquens p. 264. dicat: *Nos nullum superiorem eo in terris agnoscimus à quo dependeat, & hæc est summa authoritas, quam ei vendicamus. Dicimus autem*, inquit, *à nullo pendere in talibus, ita ut non excludamus consilium, sed imperium; aliud est enim consilio uti, aliud se imperio subjicere.* Ex dictis jam facile est re-

spondere ad argumenta, quæ *Bellarm.* affert.

Ad Quæst undecimam.

An non Magistratus, etiam summus, non catachresticè, sed proprie, subsit verbo Dei: An non Pastores & ministri Ecclesiæ totum Dei verbum debeant prædicare omnibus cujuscunque status hominibus, idque omnium conscientiis sine exceptione applicare, non catachresticè, sed propriè? Et si hoc ita sit, an non illa thesis ad hoc negandum commodè adhiberi possit?

Resp.

Responsio ex Exegesi manifesta est. Nam ex eo, quòd Magistratus Catachresticè tantùm seu impropriè loquendo & per accidens subditus est Pastoribus, id nequaquam sequitur. Ratio, cur non sequatur, in eo consistit; quod verbum Dei seu Christus habet imperium proprium in Magistratum & omnes homines, eorumque Dominus est; & sic illi propriè loquendo subditus est omnis homo, etiam summus Magistratus. At alia ratio est ministrorum: ut qui imperium proprium non habent; sed tantùm ministerium verum, & propriè sic dictum quo imperium alienum n. Chisti verbumque ejus annunciant. Vt igitur non valet consequentia,

sequentia: Titius non est subjectus præconi propriè & per se. Ergo nec Regi, cujus jussum præco annunciat; ita non sequitur: Magistratus non est propriè & per se loquendo subditus Præconibus Christi & verbi ejus: Ergò nec Christo & verbo ejus propriè & per se subjectus est.

QUÆST. XII.

An ministri Ecclesiæ aliquo modo pendeant à Magistratu in rebus Ecclesiasticis, & eatenus illi subjecti sint?

Bellarm. negat. lib. de Laic. c. 17. de Cleric. c. 28. nos affirmamus & contra Bellarm. hanc propositionem formamus: *Ministri Ecclesiæ aliquo modo pendent à Magistratu in rebus Ecclesiasticis, & eatenus ei subjecti in illis sunt.* Hæc etiam est doctrina Ecclesiarum Reformatarum. P. *Martyr* loc. commun. Cl. IV. c. 13. §. 12. postquam dixisset, ministros subjectos esse Magistratui, quatenus homines sunt & cives, &c.

subjungit: *Addendum praeterea est non solùm quoad ista quae recensui ministros Magistratui subjici, sed etiam, ut innui superius, quoad functionem. Quia si non rectè doceant, nec ex ordine administrent sacramenta, Magistratus est, eos in ordinem cogere*, &c. *Polanus* Syst. lib. 7. c. 19. *Secundò subjecti esse debent Ecclesiastici omnes Magistratui in omnibus, quae Reges in Ecclesiastico ordine constituunt secundum voluntatem Dei, sive ceremonias, sive decorum externum, sive res indifferentes spectemus, sicut Sacerdotes & Levitae fuerunt subjecti ordini illi, quem David constituerat & postea confirmavit Salomon, revocavit in usum Ezechias & Josias. Talis primatus in Ecclesia datus est à Deo piis Regibus & Principibus ac Magistratibus, ac proinde primatum habet in suis ditionibus, tum quoad regimen corporale, tum quoad curam Religionis & cultus Dei*, &c. Similiter etiam *Pareus* Comment. Rom. dub. 1. p. 1024. ubi ait, pastores non *solùm ut cives, sed etiam*

iam ex parte, quatenus ministri sunt potestati civili subjectos esse debere. Et dub. V. p. 1085. 1086. probat ex Rom. 13. cap. *Ecclesiasticos circa bonum spirituale debere Magistratui subjectos esse;* & ad exceptionem *Stapletoni* dicentis *Ecclesiasticos quatenus tales, hoc est, quatenus potestatem spiritualem habent, non subjici Regi, sed tantum ut homines & cives Reipub.* respondet; *Licet Ecclesiastici ut sunt tales, non pendeant à civili potestate supremâ simpliciter, quantum ad genus doctrinæ & sacramentorum peragendum, tamen pendent ab eâ secundùm quid, ratione vocationis, directionis & censuræ ut mox patebit. Sic igitur etiam verba Chrysostomi intelligenda,* &c. Et Cl *Rivetus* in Decal. p. 265. postquam dixisset *Magistratus quidem pasci ministerio Pastorum, sed tamen vicissim ipsum pascere eos imperio* addit: *Minister enim cùm doctrinæ radiis illuminat, cum Baptismo tingit, cùm salutari Sacramento alit, cum censuræ aculeos in contumaces exerit, hæc omnia facit*

facit Magistratui subjectus, ab eo dependens, tutus illo Euangelii vindice ac custode gladio, &c. & illustrat simili exemplo Aristotelis, Magistri Alexandri, cùm inquit: *Potuit eodem tempore & regnum quoddam in artibus apud suum alumnum obtinere eique de totâ scientiarum ratione præcipere, & interim vel ipsius juvenis vel Philippi Patris altiori gubernationi subjici: sic etiam qui ipsos Magistratus docent res sacras, iisdem subjiciuntur & ab eorum autoritate in exercitio pendent.* Cl. Walæus ex professo totâ parte secundâ libri sui p. 51. &c. tractat hanc rem, & ostendit, *quousque* (sunt verba illius) *officium ministrorum subjectum sit officio Magistratus*; Et p. 64. dicit *se quando ait ministrum non esse subditum aut servum Magistratus, loqui de partibus essentialibus, & substantia ministerii ipsorum, non autem de circumstantiis administrationis aut ministerii.* Et p. 67. ait: *Reformatos Theologos non contradicere, si quis dicat ministros certo modo subordinatos*

dinatos esse Magistratui, ut & p. 128. Et probat Augustini sententiam super hac re. Atque ex verbis citatis Theologorum Orthodoxorum patet, tum quomodo intelligi velint, quod dicunt ministros in Ecclesiasticis rebus subjectos esse Magistratui; nimirum non quoad substantiā officii, sed quoad exercitii directionem, ordinem externum & circumstantias: tùm etiam ex parte apparet, quibus argumentis sententiam suam confirment. Ad objectiones *Bellarm.* respondent tùm alii, tùm Cl. *Rivetus* pag. 165.

Ad Quæst. duodecimam.

An non necesse sit explicari, quo modo ministri Ecclesiæ in rebus Ecclesiasticis pendeant à Magistratu, eique subjecti sint? Nam hoc ita generaliter & indefinitè positum facile in malam partem sumi posset. An von debebit ostendi, Ministros non pendere à Magistratu, ut servi pendent à dominis, aut ut ministri delegati à suis principibus, ut planum maneat, Pastores & ministros Ecclesiæ, non Magistratus, sed Dei & Christi ministros esse, quod D. VValæus totâ

secundâ parte libri sui evidenter & solidè demonstravit.

Resp.

Satis explicatum est tùm verbis aliorum Orthodoxorum Theologorum, quæ citavi; nimirùm Pastores non *simpliciter pendere à suprema potestate seu quantum ad genus doctrinæ & Sacramentorum; sed secundùm quid ratione vocationis, directionis & censuræ,* ut Pareus loquitur; seu ut clarius Dn. Walæus ait: non *in partibus essentialibus & substantia ministerii ipsorum, sed in circumstantiis administrationis:* tùm verbis meis propriis, quando dixi, *eos subjectos esse Magistratui non quoad substantiam officii, sed quoad exercitii directionem, ordinem externum & circumstantias.* Et in ipso procemio rejeci doctrinam Arminianorum, quam Cl. VValęus solidè refutavit in secunda parte tractatus sui; nimirum Ministros pendere à Magistratu, ut delegati pendent â suis principalibus, quorum servi seu vicarii sunt. Summa: Satis indicavi hoc non esse intelligendum de potestate ipsâ ordinis & jurisdictionis, quasi eam & quidem omnem non à Christo immediatè accepissent; sed esse intelligendum de circumstantiis ministerii in exercitio potestatis illius.

QUÆS.

QUÆST. XIII.

An Magistratus honore & dignitate inferior sit personis Ecclesiasticis?

BEllarm. affirmat lib. de Laic. c. 17. *Reges, Principes, & quosvis Magistratus summos, ut membra Ecclesiæ sunt, dignitate & honore inferiores esse Ecclesiasticis: Sic enim,* inquit, *primùm locum habent Episcopi præcipuè Pontifex summus, secundum Presbyteri, tertium Diaconi, aliique ministri Ecclesiastici, ultimam Laici, inter quos etiam Reges & Principes numerantur,* Vide & lib. 1. de Pontif. c. 7. Et lib. 1. de Concil. c. 19. ait, quando Reges & Principes in conventibus Ecclesiasticis sedent ante Episcopos, id tantum per tolerantiam Episcoporum fieri: *utcunque tolerabile est* inquit.

Nos contra eum hanc propositionem formamus: *Magistratus summus in Ecclesia Christianâ primum locum obtinet.*

tinet. Hæc propositio est etiam doctrina totius Ecclesiæ Reformatæ; speciatim Ecclesiæ orthodoxæ Anglicanæ, ut constat: & omnium eorum Theologorum, qui potestatem Magistratus in rebus Ecclesiasticis *primatum Regium* vocant, item *Bullingeri* de Episcoporum Institut. cap 3. f. 71. b. f. 82 a. ubi ex verbo Dei ostendit: *Episcopum non debere præferre se Magistratui*, ut loquitur. *Pareus* comment. Rom. p. 1112 *pro ridiculâ petitione principii* habet, quod Bellarm. dixerat, *Magistratum in Ecclesiâ non esse primum, sed posteriorem Ecclesiasticis*. vide & Fr. *Junium* lib. 1. de Pontif. c. 7. Cll. *Proff. Leyd.* in Synops. disputat. 50. th. 46. docent, *ministris Ecclesiæ non deberi æqualem honorem cum Magistratu*, tantum abest, ut concedant ipsis plus honoris deberi. Itidem th. 48. vide & Cl. *Rivetum*, qui p. 256. ait hanc esse doctrinam omniũ Ecclesiarũ & Theologorum Reformatorum, & inter alia

alia ait: *sacrum ministerium externos honores non affectat, delatos temerè, rejicit humiliter* &c. Cl. *Walæus* par. II. p. 53. docet etiam *ministris Ecclesiæ non solùm majorem honorem non competere, quam Magistratui, sed ne quidem æqualem;* & dicit *omnes Doctores Reformatos perpetuo hoc contra Papistas docuisse.* Et probat illud ex praxi Veteris Testamenti; item ex N. Testamento. Et pag. 129. dicit *ministros subordinatos esse Magistratui* inter alia *quoad honorem.* Et ideò ait p. 53. *Magistratus capita populi vocari.* Adeoque manifestè indicat, ministros Ecclesię non esse capita populi, prout in Papatu eum honorem & appellationem superbè sibi tribuunt. Atque hanc quidem esse sententiam Ecclesiarum Reformatarum, patet etiam ex praxi illarum in Synodis & aliis conventibus Ecclesiasticis; item ex eo, quod in administratione rituum sacrorum, speciatim S. Cœnæ (ubi certè omnis ambitio quàm maximè procul

procul esse debet) hunc debitum honorem deferre solent Pastores Reformati Magistratibus summis, ut ii ministri, qui sacram cœnam non ipsi administrant, non ante ad mensam Domini accedant, quam Magistratus accesserit: quod conforme est præcepto Spiritus S. jubenti per Paulum, ut omnia bono ordine in Ecclesiâ fiant, quod quidem præceptum perpetuò à ministris repetitur, quando sacra Cœna celebratur.

Confirmationem hujus propositionis & responsionem ad argumenta contraria vide apud modò laudatos Theologos. Posset fortè objici Theologos quosdam orthodoxos dicere Ministerium Ecclesiæ *suo modo dignius esse officio civili*, ut *Pareus* loquitur p. 1113. item Cl. *Rivetus* p. 256. sed illi loquuntur de Potestate, quæ tantùm civilis est; h. e. de Magistratu inferiore, penes quem non est gubernatio Ecclesiæ, non autem de potestate civili architectonica;

nica; item loquuntur de eo, quod ministris non per se, sed per accidens competit, nimirum respectu Christi, cujus sunt Legati: quamvis & ipsi Magistratus ministri Dei sint, & quidem ita ut Dii vocentur, qui appellationis honor ministris Ecclesię in Scripturâ non tribuitur.

Conclusio interrogatorum.

Certè Magistratus non est in Ecclesia. Qui Magistratu funguntur, si sunt fideles, & Ecclesiæ membra, sunt in Ecclesiâ cum reliquis fidelibus: At Magistratus, quà Magistratus, in Ecclesiâ non est. Alioqui nemo posset Magistratus munere fungi nisi fidelis; neminemque pro subdito agnoscere posset Magistratus præter fidelem, ut Pastor Ecclesia.

Discrimen hîc agnoscendum inter regnum Dei universale, quod, tanquam creator & conservator, habet in universo mundo, in, & inter omnes homines, quibus imperat lege suâ, & quos gubernat potestate suâ absolutâ: & inter regnum Dei speciale, quod regnum est gratiæ, comprehenditque omnes fideles, quos gratiosè gubernat verbo suo & Spiritu, in quo filium suum, electorum & fidelium mediatorem & redemtorem, speciatim in regem constituit,

Psal.

Psal. 2. In primo illo regno universali Magistratus à Deo constitutus est, ut ipsius Vicarius. Hinc dicitur potestas à Deo ordinata Rom. 13. & qui illo munere funguntur Deorum nomine in S. Literis insigniti sunt Psal. 82. Unde etiam omnes ejusdem ditionis incolæ illos qui ibi rerum potiuntur pro Magistratibus agnoscere debent, sive fideles, sive infideles, sive pios, sive impios. Hujus potestatis est in illo regno universali, nomine Dei, custodire, & authoritate suâ coactivâ tueri, utramque legis tabulam, id est, subditos suos dirigere & legis divinæ observantiam. Verum, quia regnum illud universale rebellionis est regnum, utpote quod totum à Deo defecit, per inobedientiam universalem totius humani generis, nil nisi externum hominem coercere, & aliquo modo in ordinem cogere potest Magistratus. At in regno Christi mediatoris, sive in regno hoc posteriori, sive regno gratiæ, quod est Ecclesia, in quo Deus electos suos & fideles, è potestate illâ tenebrarum, & universali defectione, erutos, sibi morigeros verbo & spiritu suo efficit, Christus ordinavit Pastores & Inspectores Ecclesiæ suæ, quorum operâ hoc regnum erigit, promovet, & gubernat spirituali ratione. Eph. 4.

Pastorum, Doctorum, & Inspectorum Ecclesiæ hujus est, omnes cujuscunque ordinis homines,

hominis, pro ratione muneris & vocationis suæ, docere, instruere, & monere, ut è regno Satanæ & tenebrarum, in hoc regnum Christi & lucis sese recipiant: & omnes, qui se eò receperunt, nomenque suum Ecclesiæ, ut regno illi Christi, dederunt, ministeriali sua potestate, sive clavibus regni cælorum, à Christo sibi traditis, in obedientiâ debitâ continere, & prudenter gubernare, refractarios verò excludere.

Viceversâ, Quia hoc regnum eo fine à Deo erectum & stabilitum est, ut in illo debitè colatur, Justumque, quod in regno universali ipsi negatur, recipiat obsequium; tenentur omnes, quotquot sunt, vocationi illi divinæ parere, ministerialem illam Pastorum Ecclesiæ potestatem, sive claves regni cælorum, agnoscere, eis sese humiliter, cum spirituali obedientiâ subjicere, sed ex verbo Dei rite edocti: & quamcunque in regno universali habent potestatem, quascunque ibi possident dotes, ad promotionem regni illius spiritualis, ejusque defensionem, & malorum omnium ab eo aversionem ex vera regni illius cognitione, impendere.

Sic Christus dominatur in medio inimicorum suorum. Sic osculantur eum Principes & Iudices terræ.

Resp.

Corollarii loco subjungitur in Annota-

tionibus, quod Magistratus ut talis non sit in Ecclesiâ, sed ut Orthodoxus & fidelis; atque additur distinctio Regni Dei in universale & speciale, &c. In quibus omnibus facile acquiesco; quia puto non afferri eas distinctiones sensu & scopo illo, quem Anabaptistæ habent; qui iis utuntur, ut evincant Magistratum nullam potestatem habere in rebus Ecclesiasticis; sed potestatem omnem circa eas pertinere ad ministros Ecclesiæ solos, & sic Magistratum volunt nullâ ratione esse in Ecclesiâ; ut patet ex Confessionibus ipsorum, & Colloquio Embdano, aliisque scriptis eorum. Sed è contrario statuitur in distinctione illâ: *Magistratus officium esse in regno illo universali nomine Dei custodire & auctoritate suâ coactivâ tueri utramque legis tabulam, hoc est, subditos suos dirigere ad legis divinæ observantiam*; item, *eum externum hominem coërcere & aliquo modo in ordinem cogere posse.* Et ex altera parte statuitur etiam, *Magistratum, quatenus membrum Ecclesiæ est, debere potestatem illam, quam in regno universali habet ad promotionem regni illius Spiritualis ejusque defensionem & malorum omnium ab eo aversionem impendere.* Quæ omnia redeunt ad ea, quæ DD. Proff.

in Censl. Confess. Remonstr. c. 25. §. 3. 4. dicunt: *Magistratum suâ potestate circa res Ecclesiasticas uti debere non tantùm, quod boni publicique ordinis sit tuitor, qualiter & Ethnicus Magistratus modò Ecclesiam ferat, eamque foveat, Ecclesiæ statum tutari potest, sed etiam quod membrum Ecclesiæ Christi sit, cujus est quoque externam suam potestatem (qualiter omnia membra pro modulo quæque suo facere debent) conferre ad Ecclesiæ bonum, & se ejus nutricium præbere ac præstare.* Summa: modò illa distinctio non adhibeatur ad potestatem Magistratui eripiendam, quam verbum Dei illi tribuit, eam non rejicio: nec plus tribuo Magistatui, quàm in eâ ipsi defertur. Et hæc breviter dicta sunto ad interrogata proposita. Nunc ego vicissim jure possem proponere varias Quæstiones & responsionem ad eas postulare; quandoquidem Considerationes illæ propriam mentem Dn. Auctoris earum non exhibent circa quædam, quæ ex me quæruntur; quò ita apparere posset, an consensus inter Auctorem earum & Ecclesiarum Reformatarum reliquos Doctores sit speciatim illos, quos allegavi, an verò peculiares opiniones habeat circa materiã illã. Spiritus enim prophetarum prophetis subjiciuntur. Sed finio; quia spero

in re ipsâ consensum inter nos omnes esse; & tantùm diversitatem in modo explicandi quantum hactenus quidem potui intelligere, aut vehementer fallor. Deus omnium Magistratuum animos dirigat, ut potestate suâ ita utantur, quò manifestum fiat eos quęrere regnum Dei, conservationem Reformatæ Religionis, vigorem denique pietatis, ad gloriam nominis ipsius, Ecclesiæ defensionem, ac Reip. prosperitatem.

Conclusio Nostra

In quâ hæc doctrina à calumniis Pontificiorum vindicatur.

EXposuimus hactenus doctrinam Ecclesiarum Reformatarum *de potestate Magistratus in rebus Ecclesiasticis*, prout eam semper, libenter ac liberè confessi & professi sunt Doctores & Pastores Ecclesiarum nostrarum, non tantum ante Synodum Dordracenam, sed etiam post eam. Inter quos quidam adhuc per Dei gratiam vivunt, qui scriptis publicis eam tuiti sunt contra Pontificios, ut

patet

patet ex præcedentibus. Nec unquam lis ulli eo nomine mota est, nec potest doctrinæ ei contradici à peritis ac veris Theologis, quia non hominum, sed Dei doctrina est in verbo suo loquentis, prout pluribus adhuc à nobis ostendi potest. Nec puto quenquam repertum iri, qui doctrinam ei oppositam, hoc est, Pontificiam invehere rursus in Ecclesias nostras, & sic novam doctrinam illis obtrudere conetur, nisi frontem planè perfricuerit. Non tamen desunt calumniæ, quibus Pontificii, tùm alii, tùm *Bellarm.* hanc doctrinam denigrare conantur. *Primò* enim, ne soli injurii videantur in unctos Domini, allegant quosdam nostros Theologos, quos dicunt secum sentire. Ita *Stapletonus* & alii Pontificii Angli, *Lutherum*, *Melanchtonem*, *Calvinum* in suas partes pertrahere conantur. Sed hanc meram esse calumniam, quâ in sequiorem sensum verba piorum Doctorum detor

quent', dudum ostenderunt nostri Theologi & inter hos *Pareus* Rom. c. 13. Cl. *Rivetus* p. 259 260 post *Reinoldum* Theologum Anglum doctissimum.

Secundum genus calumniarum consistit in effectis & adjunctis perniciosis scilicet, quę huic doctrinæ *Bellarm.* & alii Pontificii adscribunt. Quod quidem ab ipsis fieri mirum non est; Certum quippe est nullam doctrinam magis ipsorum ambitioni & contrariam & exosam esse, quàm hęc quidem est. Quæ etiam causa est, quòd, ut dudum gravissimus Theologus *Pareus* in Aphorismis questus est, nolunt permittere Principibus, ut intelligant, quantum potestatis in rebus Ecclesiasticis habeant. Primò ajunt confundi eâ ratione omnia, potestatem scilicet Magistratus cum ministerio Ecclesiastico. Ita olim *Hardingus* contra Ecclesiæ Anglicanæ Apologiam contendebat. Ita *Bellarm.* lib. 1. de Cleric. c. 28.

Secundò

Secundò dicunt hac ratione dissidia excitari inter Magistratus & ministros. Ita Cardinalis *Perronius* in oratione habitâ in conventu ordinum Galliæ 1614. *Rosweydus* Jesuita alicubi dicit eos, qui jus Magistratus contra usurpationes Ecclesiasticorum defendunt, *novam sectam frendere* & schisma facere velle. Tertiò dicunt sententiam illam adulatoriam esse & per eam *Ecclesiasticos fieri mancipia Regum*. Ita *Bellarm.* lib. 1. de Pontif. c. 7. Sed hæc omnia falsa & calumniosa esse; atque contumeliam istam recidere non tam in Ecclesiarum nostrarum Theologos, quàm in ipsum verbum Dei, à nostris non semel est ostensum. Nihil enim aliud ista doctrina adscribit Magistratibus, quàm quod Scriptura Sacra ab illis postulat iisque attribuit: dum dat Cæsari, quod Cæsaris est, & Deo, quod Dei est.

Et certè confusionem nullam introduci officii utriusque ex eo patet,

quod secundum hanc doctrinam etsi in quibusdam conveniant circa res Ecclesiæ & fidei, tamen octodecim adhuc modis circa easdem differunt, quos commemorare instituti nostri non permittit brevitas. Quod secundo loco ajunt Pontificii contentiones & dissidia per hanc doctrinam queri inter Magistratus & Pastores: in eo verò egregiè isti homines detegunt ingenium suum & ambitionem. Eo enim ipso satis minaciter indicant se nolle concorditer vivere cum Magistratu, nisi quamdiu is de jure suo discedere vult & pati ut ipsi in Ecclesia dominentur: ubi autem Magistratus jus sibi divinitus concessum & officium, quod sibi incumbit, exercere velit, se ei adversarios esse velle & dissidium excitare in Ecclesiâ & Repub. ac populos contra Magistratum & orthodoxæ hujus doctrinæ assertores concitare velle. Cœterum in eo plurimum fallunt potius quàm falluntur. Neque enim vera ratio

concor-

concordiæ inter Magistratum & ministros in eo consistit, ut pastores jus suum eripiant Magistratui; è contrario nullum est majus incentivum discordię, quam cùm quis Magistratum, imò quemvis minimum ex fęce Romuli spoliat jure suo, & eum impedit, quo minus exercere illud possit; *Societas quippe humana*, ait optimè Sibbrandus p. 150. *conservari nequit nisi quisque sese intra limites suæ vocationis contineat.* Vera autem concordia inter Magistratum & ministerium eo fundamento nititur, ut neutra pars invadat jus alterius, sed utraque alteri, quod suum est, tribuat. Quod quidem fit per hanc doctrinam; quam consequenter pastores tenentur non tacere nedum impugnare, sed diligenter & fideliter populis proponere, & ipsi ad usum perpetuò revocare. Ita dubium non est, quin concordia inter Magistratum pium & ministerium summa sit futura. Unde etiam patet non nostram, sed

contrariam doctrinam discordiæ matricem inter Magistratum & ministerium esse; & causam justissimæ indignationis Magistratus contra pastores, quæ suo tempore in iram & & vindictam ipsi à Deo imperatam erumpit. Atque hinc perpetuo illa doctrina à nostris Theologis pro seditiosâ & contumeliosâ in Magistratus habita fuit, prout facile ostendere possem. Quod autem dicunt Pontificii, eos qui nostram hanc doctrinam profitentur *Schisma moliri* in Ecclesiâ, idipsum falsissimum est. E contrario doctrina adversariorum verè schismatica est, utpote quam *Donatus*, schismatis perniciosissimi in Ecclesiâ vetere autor, primus professus est. Quemadmodum etiam dubium non est, quin si aliquis nostris Ecclesiis contrariam doctrinam proponeret, Schisma quantum in se est efficeret, dum opiniones verbo Dei contrarias, & in Ecclesiis nostris non receptas invehere conaretur: cui machi-

machinationi, utpote perniciosissimę & quę summę utilitatis doctrinam ex Ecclesiâ profligare conaretur, à Magistratu & à veris servis Dei obviam seriò esset eundum. Quod tertio loco dicunt hanc doctrinam adulatoriam esse, & ex Episcopis mancipia Regum seu Magistratuum efficere; id verò & ipsum calumnia est impudentissima. Quę enim est adulatio indicare ex verbo Dei quidnam Deus à Magistratu requirat, & quod illius officium & quidem laboriosissimum sit; & quorsum dignitas illius & potestas sese extendat? Nec per eam Pastores mancipia Magistratus fiunt; cùm in nullâ re eos Magistratui subjiciat, nisi in quantum verbum Dei eos subjectos esse vult; nec illius libidini, sed justo & æquo imperio, quod Deo non reluctetur parere jubeat; nec denique suo jure & libertate eos privet, quæ in administratione Ecclesię divinitus ipsis est concessa. Et tantum abest, ut nostra do-

ctrina aduletur Magistratibus, aut illis Pastores tanqnam mancipia submittat, ut potius contraria doctrina abblandiatur Papæ, & superbiæ atq; ambitioni Cleri palpum obtrudat, atque ex Magistratibus mancipia, imò lictores & carnifices ministrorum faciat. Et sic ostensum est doctrinam nostram nequaquam noxiam esse.

Nunc paucis è contrario ostendemus utilitates illius: quæ novem sunt. *Primus* usus est conservatio veræ Religionis & puritatis illius. Si enim solis personis Ecclesiasticis cura Religionis & gubernatio Ecclesię relinquatur, æquè imo forte magis periclitatur puritas & veritas Religionis, ac salus Ecclesiæ, quàm si soli Magistratui relinqueretur, quemadmodum ex scripturâ & experientiâ Papatus constat. *Secundò* necessaria est hæc doctrina, ne Papalis fastus ac Tyrannis & consequenter Idololatria Pontificia rursus introducatur. Cœpit enim revelari Antichristus per fastum

fastum ac superbiam, sub *Bonifacio* tertio, postea paulatim sequuta est idololatria, usque dum ad cumulum & supremum fastigium pervenit. Quare experientia nos sapientes reddere debet atq; efficere, ne per eandem viam ad eandem metam Satanã grassari patiamur. *Tertiò* necessaria est hæc doctrina ad conservationem pacis in Repub. & Ecclesiâ Christianâ. Nam doctrinam contrariã esse verum flabellum seditionum docet experientia Papatus. Et ratio est evidens: positâ enim illâ doctrinâ Pontificia pastores tutò populo persuadere possunt sub prętextu Religionis quicquid volunt. Magistratus autem ne hiscere quidem audet, quia statim audit ad se non pertinere res Ecclesiasticas, eum defensorem esse tantùm & executorem Ecclesiæ, contra hoc officium suum agere ipsum, dum non assentitur iis, quæ à pastoribus dicta sunt ad populum; esse hostem Ecclesiæ, excommunicationem in-

currere, adeoque privationem jurisdictionis & dignitatum suarum &c. *Quartò* consequenter necessaria est hæc doctrina ad tuendam vitam, dignitates, bona Magistratus Christiani, imò cujuscunque Christiani, ut pręcipuè patet ex connexione inter dominium spirituale & temporale, quemadmodum Bellar. non ineptè profectò, sed callidiùs longè, quàm plerique alii Pontificii, hoc ex illo infert. *Quintò* eò spectat doctrina ista, ut Magistratus Christiani intelligentes potestatem suam in rebus Ecclesiasticis adeoq; officium suum, eò magis extimulentur, ad procurandum bonum Religionis atq; Ecclesię, ad extendendum Regnum Jesu Christi; quandoquidem vident ad se etiam pertinere curam religionis & Ecclesiæ iis modis, qui à nobis sunt expositi. *Sextus* usus est, ut Doctores & Pastores Ecclesię aliæque personæ Ecclesiasticæ eo melius & rectius officium suum faciant, tàm in

in doctrinâ, quam in vitâ, scientes se non tantùm Deum judicem supremum habere, & collegarum suorum, qui nonnunquam alii ad aliorum vitia vel ob metum, vel ob vitiorum societatem, vel ob alias causas connivere solent) censuræ obnoxios esse, sed etiam Magistratum habere inspectorem, Censorem, ac judicem tàm doctrinæ, quàm vitæ suæ. *Septimò* hac ratione student prudentes & sapientes Ecclesiastici, qui bonum Ecclesiæ & incrementum regni Christi quærunt, piis obsequiis & secundum Deum demereri pios Magistratus suos, præcipientes hoc vel illud in rebus Ecclesiæ, quod non potest non plurimum in bonum Ecclesiæ cedere; quemadmodum contra perniciosissimum est Ecclesiæ; quando pastores existimant se potestatem architectonicam in administratione Ecclesiæ habere, Magistratum autem nihil habere potestatis in gubernatione illius, sed tantum defen-

fen-

fensorem esse & exequutorem sententię Ecclesiasticorum; adeoq; contra aut præter voluntatem Magistratus, eo ringente & indignante agunt in rebus Ecclesiæ, quæ volunt. Tunc enim irritantur Magistratus, & sæpe ea aut faciunt, aut permittunt, quæ alioquin nunquam contigissent. *Octavò* necessaria planè hęc doctrina est studiosis Theologiæ seu illis, qui ad ministerium verbi se pręparant. Maturè enim & antequam ad functionem suam exercendam veniant, debent discere, quousq; se extendant limites potestatis suę in administratione Ecclesiæ, quid juris & potestatis habeat Magistratus in illius gubernatione, quid consequenter ipsi debeant, in quibus ei sit obediendum. Quo ita φιλαρχίᾳ & φιλοπρωτίᾳ, hoc est, *dominationis & ambitionis studio* non involent in officium Magistratus, eum impedire conentur eique resistant, quando circa res Ecclesiæ hoc vel illud ex officio facit, aut fieri
vult,

vult, adeoque se & Ecclesiam, quæ ipsis committenda est olim, periculo exponant. *Nonò* denique necessaria est hæc doctrina ad vindicandas Ecclesias nostras à calumniis adversariorum. *Remonstrantes* enim hinc inde in scriptis suis præcipuè autem in *Apologia* acerbissimè insectantur Ecclesias nostras, quasi duas collaterales summas & architectonicas potestates statuant: Magistratum scilicet ex unâ, ministros ex altera parte; quorum ille tantum in rebus seculi, hi autem in rebus Ecclesiasticis gubernationem habeant; quâ ratione Magistratus à nobis mancipia, lictores, & carnifices (prout in Papatu fit) Ecclesiasticorum constitui dicunt, Apolog. c. 25. f. 293. 294. speciatim autem eo nomine acerbè insectantur Ecclesiam *Genevensem*, & *Matricem*, inquiunt, *Ecclesiarum omnium Genevam tantùm vide*, &c. *Magistratus omnia velit nolit, ex ministrorum arbitrio geri sinit: quin &*

auctori-

auctoritatem suam iis commodat, ubi ea opus esse ministri judicant. Crimen læsæ divinæ Majestatis esse creditur, non parere ministrorum decretis &c. Sed hanc calumniam esse patet ex hac disputatione: quemadmodum speciatim Ecclesiæ Genevensi injuriam fieri ab ipsis, ego optimus testis esse possum, qui in Ecclesia & Academia illa diu docui. Etsi enim status ibi popularis sit & quidem adeò, ut jus, pacem aut bellum decernendi, item Consules quotannis eligendi penes populum sit; etsi quoque pastores ibi ob singularem eruditionem & pietatem, quę in illis inde ab initio Reformationis ad hęc usque tempora effulsit, in magna authoritate sint: tamen tantum abest, ut Magistratus ibi Mancipium ministrorum sit, & faciat, quicquid ministris lubet, ut è contrario, si minister aliquid aut dicat, ut faciat, quod ipsius Magistratus authoritati contrarium esse videatur: à Magistratu extraordinariâ viâ, sine ullâ com-

municatione cum consistorio coërceatur, & vel arresto publico detineatur, vel ab officio suspendatur: cujus rei ego varia exempla recentiora novi. Et tunc nos non Tyrannidis accusabamus Magistratum, nec populum concitabamus contra ipsum; sed confugiebamus ad arma nostra, hoc est, preces, quas ad Magistratum dirigebamus, quibus emollliebamus iram ejus. Idem Magistratus pro suo arbitrio, aut auget, aut diminuit numerum ministrorum & salaria eorum. Exigit etiam ab unoquoque ministro juramentum fidelitatis, quo ille promittit, & jurat se in officio suo religiosè ac benè versaturum & Magistratui fidelem fore: prout etiam illud ego in eâdem causâ præstiti. Nec quisquam nostrûm illud juramentum unquam recusavit, & singuli eò melius sibi cavebant, ut ne præter commune delictum etiam perjurii
notam

notam, ac pœnam incurrerent. Quod quidem ideò narro tantum, ut manifestum fiat injuriam fieri Ecclesiæ Genevensi ab adversariis, non autem, ut consuetudinem aut ordinem particularem ullius Ecclesiæ oppugnem; aut impedire velim vel hac in parte, vel in aliis rebus, quas hactenus expoluimus quò minus Magistratus de jure suo si vult, remittat, quâ in parte quid expediat ipsius est prudenter dispicere. Atque hæc in præsentiarum sufficiant de hac materia. Pii Reges ac Magistratus facilè vident se causam omnem habere, tùm Deo gratias agendi, quod in libertatem suam per doctrinam Euangelii ex superbissimo jugo Cleri Romani sint vindicati; tum hanc doctrinam Ecclesiarum Reformatarum tanquam insignem gemmam diadematum ac fulcrum thronorum suorum sollicitè in Ecclesiâ conservandi. Ita enim & illis

illis jus suum illæsum servatur; & ministris Ecclesiæ nec plus, nec minus quam par est tribuitur; quorum utrumque omnibus modis vitandum est. Nam ut contemptus piorum & fidelium servorum Dei contemptum Religionis secum trahit; ita etiam *non nimium pastoribus est tribuendum*; quemadmodum prudenter insignis servus Dei P. Martyr monet, *ne superbiant ac tyrannide premant populum, & mandatis inventisque suis gloriam Dei obscurent*: quæ verba illius sunt, Loc. communi. Cl. IV. c. 1. §. 23. laudata etiam à Cl. *Walæo* p. 149.

Qui etiam p. 14. ait: *quando exercitia ministerii cum suis dependentiis (nimirum administratio Sacramentorum, exercitium disciplinæ Ecclesiasticæ, cura pauperum, conservatio conventuum Ecclesiasticorum classicalium & Synodalium & reliqua, quæ necessaria sunt ad conservandum bonum ordinem in cultu divino, cui haud dubiè inservit vocatio mi-*

nistro

nistrorum & judicatura controversiarum; quæ sæpè oriuntur in Ecclesiâ) integra manent sine impedimento secundùm verbum Dei illis, qui ad id officium in Ecclesiâ Christi vocati sunt, & id quidem sub supremâ inspectione, curâ, autoritate & imperio Magistratus secundùm verbum Dei tàm in personas, quæ administrant cultum Dei, quàm in administrationem ipsam; ministros & alios, qui Ecclesiæ præsunt non debere quicquam ampliùs postulare, quandoquidem nec plus nec minus ipsis à Christo est mandatum. Ita Dominus Walæus; quemadmodum etiam ejusdem judicio *omnes Orthodoxi Pastores gratias agere tenentur ei, qui asserit veram potestatem, quam Magistratus secundùm verbum Dei in negociis Religionis habet. Nam experientia omnium temporum,* inquit, *nos docet Ecclesiam tùm demum frui verâ suâ libertate, quando sub tali Magistratu est, qui intelligit & benè novit officium, quod Deus ei supra illam commisit*, ait p. 9. editionis Gallicæ Amstelodamensis per *H. Lauren-*

Laurentium, quam in hac diſputatione fideliter ſequuti ſumus, prout etiam cæteros auctores bona fide allegavimus.

Et ſic quidem Magiſtratus poteſtatem in rebus Eccleſiaſticis vindicavimus breviter adverſum Bellarm. Proximâ diſputatione miniſterii Eccleſiaſtici naturam, dignitatem, jura contra eundem aſſeremus volente Domino.

FINIS.